

Tom: LXXVI. Miscell:

~~G.H. 70.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

17-18.

SIGNAT. 61515CCCXIII.

JESUS TYPICUS
adversus Photinianos
 IN VETERUM SA.
 CRIFICIIS OSTENSUS,

ET
 In Academia Lipsiensi

Sub PRÆSIDIO

VIRI Admodum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi
 DN. CHRISTIANI LANGII, SS. THEOL. D. P. P.
 & Facultatis illius hoc temporis DECANI, ad D. Tho-
 mæ Pastoris, &c. Dn. Præceptoris & Patroni sui
 Parentis vicem percolendi,

PRO

Collatâ antehac Primâ Laureâ Theologicâ
 Publicè assertus

à

M. FRIDERICO RAPPOLTO Reichenbachio-
 Varilco, S S. Theolog. Baccal.

d. 29. Martii,

In Acroaterio Coll. Maj. Princ.

Horis matutinis.

Hieronymus.

Singula Sacrificia, imò singulæ penè syllabæ, & vestes Aaronis, adeòq;
 totus Leviticus Ordo coelestia spirant Sacramenta.

Impensis Hæredum SCHÜRERI & MATTHIÆ GÖTZII,

Lipsiæ, Typis GREGORI RITZSCHII, Anno 1642.

JESUS TYPICUS

IN VETERLIMSA

CRIBRICIIS OSTENSUS

ET

In Academia Lipsienfi

sub Praesidio

D. CHRISTIANI LANGII S.S. Theol. D.P.P.

& Facultatis illius hoc temporis Decani ad D. Theol.

Magist. D. Theol. D. Theol. D. Theol.

1772

Collegium Publicum Lipsienfi

Publice editis

Mr. Frederico Rapperto Rectori Lipsienfi

Magist. D. Theol. D. Theol.

In Actorio Coll. Mag. Lipsienfi

Printis

Impensis Heredum CHURCHII & MATHIASII

Lipsiae Typis Gresselii Ritzschii





BENE VORTAT
 ΙΗCOΥC ΧΡΙCΤΟC ΧΘΕC ΚΑΙ CΗΜΕΡΟΝ
 ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τὰς αἰῶνας.



Tqve hunc ipsum intelligimus, JESUM TYPICUM producturi. Suas enim sibi res habere jubemus Pontificios, qui FRANCISCUM Monachum illum Assisensem, Petri Bernardonis filium, quod stigmata quinque vulnerum Christi corpori suo impressa acceperit, & per internam suam passionem omnimode, ut illi loquuntur, in Christum Jesum transformatus fuerit, non sine blasphemiâ JESUM TYPICUM appellârunt. Jucundius JESU nostri typos in Sacrificiis rimamur, religiosius veneramur. Hoc enim *Typicum* illud veterum est *Evangelium*: hæc *oculares* de merito Christi, antè & retrò valente, *conciones*. Nec opus, ut illud *Cassii* heic usurpemus: *cui bono?* Alios enim ut silentio involvam usus, unum hunc in doctrinâ de satisfactione pervideas. Negat illam, & descriptè negat cum socienis suis infaustus ille FAUSTUS: quem contrâ si feliciter depugnare velis, inter alia spiritualis Πανοπλίας arma argumento à Sacrificiû petito tanquam clypeo te munias necesse est. Hoc enim ipse *roborû aliquid habere* agnoscit, suo se prodens indicio forex. Ita autem inferunt nostrates:

Chron Franciscanorum l. 2. c. 55.

Socin l. 2. de Serb. c. 9.

Quod victimæ immaculatæ non tantum significârunt, sed & pro peccatoribus oblatae typicè præstitèrunt, illud reverâ Christus, quatenus per victimas præfiguratus fuit, innocentissimâ passione & morte suâ præstitit & implevit,

Sed victimæ immaculatæ non tantum significârunt veram victimam piacularem pro totius mundi peccatis, sed & typicè portârunt & expiârunt peccata & DEI iram placârunt.

Ergò.

A 2

Mi-



Minoris probationi nostra inpraesentiarum velificabitur con-
templatio, & Superiorum jussu inferius appositum *Problema*, quod
male-feriatus Photinianorum manipulus *σὺ δὲ σὺ ἀπίθι*, it
negatum, confirmabit. Ne verò *ἀμεθόδως* progrediamur, &
quod Scaliger Cardano suo exprobrat, sine cultu, sine ordine, illi-
berali discurreamus festinatione, certis nos continebimus can-
cellis, & totum negotium tribus SECTIONIBUS dabimus expe-
ditum.

Prima TERMINOS Problematis explicabit.

Secunda ipsum Problema CONFIRMABIT.

Tertia praecipua Adversariorū *ἀντιπρὸς* REFUTABIT.

SUPREMUS NOBISCUM!

PROBLEMA.

An Sacrificia expiatoria Veteris Testa-
menti Christum, & mortem ipsius satisfa-
ctoriam adumbrarint?

SECTIO I.

ΠΡΟΫΠΑΡΧΟΥΣΑ ΤΩΝ ΟΡΩΝ

γνώσις.

Antequam ad Problematis hujus nostri *κατασκευὴν* & con-
trariarum rationum *ἀνασκευὴν* nos accingamus, non inutile,
aut *ἄνευ* *δύσεως* arbitramur, si terminos illius, tam ex parte subje-
cti, quam ex parte praedicti prius evolvamus.

CAPUT. I.

De Problematis SUBJECTO.

I. Quando igitur quaeritur: An Sacrificia expiatoria V. T. &c.
subjectum quaestionis constituunt *sacrificia*, de quorum Appella-
tione, Natura & Causis plusculum hinc dicendum, cum diligens
eorum consideratio confirmando huic problemati, non parum
lucis sceneretur.

Di-

Dicuntur autem Sacrificia, ut ab incunabulis vocis hujus or- *Etyologia:*
diamur, à *sacris faciendis*, quòd sacra facere apud Lati-
nos idem ac hostias offerre, aut rem aliam DEO dicatam. Sa-
crum enim, vel ut Ennius effert, sacris, sæpè hostia est & sacrifi-
cium. Hinc *sacrum sine fumo*, ἀκαπνὸς θυσία de pauperum
Sacrificiis & cœnis, in quibus nihil recens coctum apponitur. Sic
Facere quoque solo vocabulo dicuntur, qui sacrificant, sicut Græ-
ci τὸ θύειν non tantum ἔρδειν καὶ πέζειν, sed & ΔΡΑΝ vocabant.
Aliàs nomen animalis exprimitur, ut facere turtures pro pecca-
to, Levit. 15, 15, 30. & Psal. 66, 15. Faciam (ἱθύων) boves cum
hircis, ut Hieronymus vertit: LXX. ἀνοίσω σοι βόας καὶ χιμείων.
Phrasin hanc, ut ritum, imitati sunt Mundiales. Hinc *pro frugibus*
facere dixit Virgilius:

Cùm faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito:
Et *propter viam facere* Laberius referente Nonio: Visus hac nocte
bidente propter viam facere, id est, ut Festus docet, proficiscendi
gratia. Ex quo ille in Albidium decoctorem Catonis jocus apud
Macrobius l. 2. Saturn. c. 2. quo eum propter viam fecisse dice-
bat. Propter viam enim Herculi aut Sango sacrificium fiebat,
in quo moris erat, ut si quid ex epulis superfuisset, igne consume-
retur. Sic proverbio dicunt, *Dii facientes adjuvant*, quod expli-
cant, ritè sacris operantes.

II. Habet & alia Civitas Latina nomina, quibus quod DE O *Synonymas.*
consecratur offerre solet: *Hostia, Victima, Immolatio, Oblatio*. *Hostie*
dicuntur Sacrificia, quæ ab his fiunt, qui in hostem pergunt:
Victime, quæ post victoriam fiunt. Sed hæc licenter confundit au-
toritas. Hinc paulò aliter Fastorum scriptor:

Victima quæ dextra cecidit victrice vocatur,

Hostibus à domitis *Hostia* nomen habet.

Immolatio verò ab immolando dicitur, quod est mola, i. e. farre
molito & sale hostiam perspersam sacrare. Seneca in Oedip.
Act. 2. Sc. 2. taurorum colla falsâ molâ spargere vocat. *Immo-*
lari igitur propriè dicuntur victimæ, non cùm cæduntur; sic enim
cæsæ vel mactatæ audiunt, sed cùm accipiunt molam salis.
Hinc Cato in Originibus ait: Lavini boves immolatos, prius-
quam cæderentur, profugisse in sylvam. Quidam *mactare* quoque

ed referunt, ut sit quasi magis augere, & victima maesta, id est, magis aucta. Quoties enim farina, vinum aut thus super victimam fundebatur, dicebant: *Maestus est taurus thure vel vino.* h. e. cumulata est hostia & magis aucta. Girald. Syntag. 17. Generalissimum est *Oblatio*, ab offerre, cui Germanicum *Opffer* fortè natales suos debet. Græcis familiare est nomen *Θυσία*, quod veterum, si Eustathio fides, sacrificium est, & suffimentis factum, quodale primò omnium usu venisse quidam narrant, à *Θύειν*, quod apud Homerum ex veterum opinione accipi semper pro *θυμιάσαι* dicit ille. *Θυμιάσαι* autem suffire est, gratos odores accendere. In genere quodvis notat sacrificium, quod DEO placando honorandoque offertur, & sic paria facit cum voce *προσφορὰ* & *δώρον*.

l. 4. Ant. c. 4 p.
m. 46. It. lib.
1. contra. App.

III. Ebræi tria potissimum usurpant vocabula: *קרבן* quod dicente Josepho *δώρον σημαίνει καθ' ἑλληνῶν γλῶτταν*, sive ut alibi, *Θεῷ δῶρον*, Munus Deo consecratum. Sic autem quidam Nasiræorum more se vocabant, perinde ut illi voto DEO adstricti. Eandem explicationem adfert Marcus cap. 7, 11. *κορβᾶν (ὅστι δῶρον) ὅτι ἐστὶ ἐξ ἐμοῦ ὠφελήθης*, Corban seu donum est, i. e. jam DEO religionis causa oblatum est illud, ὅτι ἐστὶ ἐξ ἐμοῦ ὠφελήθης, per quod à me adjutus fuisses, vel juvari potuisses, i. e. unde tibi succurrere debuisses. Syriacè *ܩܪܒܢܐ* quod Matth. 27, 6. usurpatum ærarium templi significat per Metonymiam, sicut ex Luca apparet, cap. 21, 4. *ἔβαλον εἰς τὰ δῶρα*, pro *εἰς τόπον τῶν δῶρων*, sive *εἰς τὸ Corban thesaurum sacrum* vocitando. Reliqua duo sunt *זבח* quod Sacrificium maestatum notat, & *מנחה* quod oblationem. Sed hæc non de sacrificiali tantum, verum etiam de vulgari oblatione & maestatione passim usurpantur, ut videre est 1. Sam. 28, 24. Gen. 32, 13. Sicut & Græcorum *δώρον*, quod Ebræorum Corban respondet Matth. 2, 11. ubi Magi Christo recens nato offerunt *מנחות* oblationes, aurum, thus & myrrham. At non sacrificarunt. Aliàs tale quidam inter hæc tria observant discrimen, ut *Corban* generale sit, significans quamvis oblationem: *Zebach* & *Mincha* verò specialia, quorum illud quidem munus ex animalibus, hoc verò ex frugibus & succis terræ confectum subinnuat.

Ve-

Verum nec hoc est perpetuum, cum etiam Abelis oblatio
מִנְחָה de primogenitis gregis sui facta, Gen. 4, 4. Min-
cha appellitur v. 5.

IV. Est autem sacrificium non unum, nec uno gaudens signi *Homonymia*.
ficatu. Aliud enim est *Ceremoniale & Typicum* in Veteri, aliud *Rea-*
le in Novo Testamento per typicum illud significatum. *Illud* vel
ante Mosen viguit, & Patriarchale hinc vocatur; vel Mosis tem-
pore coepit, & Leviticum salutatur, solâ ferme circumstantiâ tem-
poris & loci discrimen inter hæc faciente. *Hoc* verò vicissim vel
Expiatorium est, & solum Christum attinet primariò Leviticis illis
præfiguratum: vel *Eucharisticum*, & Christianis quoque compe-
tit, vitulos labiorum DEO offerentibus. Nobis hîc de Ceremo-
niali sermo, tam eo quod Patriarcharum viguit seculis, quàm
quod Mosis tempore fuit institutum. Utrumque enim in eo con-
venit, quod fuerit *Opus Patriarchis & ipsorum posteris Israëlitis à DEO Definitio.*
justo pariter ac misericorde ad Messiam usq; tempora mandatum, ut sub va-
riorum animalium mactatione & frugum oblatione, ille ipse interibi cum
beneficiis suis representaretur. Postquam enim in æterno illo SS.
Trinitatis Concilio admirando *justitiæ & misericordiæ* divinæ tem-
peramento de incarnando Filio DEI factum esset decretum, ut
pro lapsu genere humano in plenitudine temporis victima fie-
ret piacularis, justitiæque DEI perfectissimâ suâ obedientiâ ex
asse satisfaceret: ne illius vel notitia ignoraretur, vel memoria
excideret, in ipso statim Paradiso per suavissimam *πρωτεύουσα*
vocem Protoplastis fuit indicatum, & visibili Sacrificiorum signo
publicè & solenniter obsignatum: A quibus postea hic sacrifican-
di ritus continuâ serie & quasi per manus ad posteros traductus,
& ad Christi usque tempora propagatus. Fuit et im externum
hoc & in oculos incurrens Sacrificiorum spectaculum tum tem-
poris commodissima prorogandi Meriti Christi via, & longè me-
lior fortean, quàm si vel mundum immensa voluminum mole
compleri, vel solâ voce id ipsum inculcare DEUS præcepisset.
Nam ut Poëta ait:

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

V. Non

*Causa efficiens
Principalis.* V. Non ergò Sacrificia vel *idololatrica* sunt & superstitiosa atq;
inutilia spectacula seu oculifera, quod Manichæus; vel *luminis
Natura, & instinctus divinitus ingenti* inventa, quod Bellarminus:
vel nihil à gentiliū sacrificiis discrepantia, quod Julianus autu-
mavit; sed à DEO ipso expresso verbo instituta atqve ordinata
mysteria, & Ritualia quædam, ut ita dicam, Evangelia, non nisi
divinam ortus sui causam agnoscentia. Neq; enim placere Deo
aut arbitrarius, & humano cerebello inventus, cum cultum DEO
probatum DEI quoque verbo niti oporteat. At placuisse legitur.
Respexit enim (ΥΨ) quod Symmachus vertit ἐτέεφθη delectatus
est; Chald. suscepit cum beneplacito, Theodotion Græcus ἐνε-
πύρεσεν inflammavit, respiciens ad ἐμπυρισμόν, atqve ignem
cælitus demissum tanquam visibile divinæ gratiæ signum) Do-
minus ad Abel & ad oblationem ejus: Ad Cain autem & ad ob-
lationem ejus non respexit, Gen. 4, 4, 5. Abel igitur & Cain ri-
tum hunc sacrificandi cum Levitico apprimè congruentem,
Num. 18, 17. non nisi ab Adamo communi tum temporis atqve
ordinario Episcopo; Adamus autem ab ipso met DEO accepe-
rint necesse est. *Credimus*, ait Hugo à S. Victore, *DEUM docuisse
Adam cultum divinum, quo ejus benevolentiam recuperaret, quam per
peccatum transgressionis amiserat, ipsumq; docuisse filios suos dare DEO
decimas & primitias*, citante Jacobo Boulduc inde Ecclesia ante le-
gem lib. 1, cap. 1, p. 3. Hinc majoris pretii hostiam Abel obtulisse
dicitur per fidem, Ebr. 11, 4. At fides non ex Naturæ lumine, aut
rationis nostræ dictamine, sed ex auditu est; auditus autem per
Verbum DEI, Rom. 10, 17. quod Adamo in tam arduo negotio
à DEO ipso factum esse quis negabit? *Ασύστατοι* enim sunt in
Religione Fides & ἐθειλοθησικία. Illa divinâ revelatione nititur:
Hæc verò hominum mandatis est superstructa, quæ propterea
ἀκυρῆν, id est omni imperio & autoritate, quantum quidem in
ipsis est, spoliare dicuntur mandatum DEI, Matth. 15, 6. Cultus
ergò ex fide DEO præstitus voluntatis ac mandati divini cog-
nitionem necessariò involvit; cum nihil aliud sit, quàm obedientia,
quæ DEO vocanti ac mandanti paremus, cum *πληροφροῦν* in
ipsius promissiones, quibus nixi remunerationem certò nobis
pol-

pollicemur Ebr. 11, 6. Quæ causa est, quæmobrem gravissimum illud ἀθενησεν φώνημα, sive ἀψὸς ἔφα: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens, subinde in Leviticorum rituum institutione repetatur: Nimirum ut sua Sacrificiis constet origo, nec à maleferiata hominis ratione, cui hæc omnia vilia videntur atque perabsurda, aliunde derivetur.

VI. Unde quoque apparet, quid de *Patrum* quorundam opinione statuendum, qui Sacrificia DEO minus placuisse, nec destinata ejus voluntate dixere instituta, sed tantum majoris vitandi mali causam permitta fuisse, ne scilicet Ebræi in Ægypto Sacrificiis adverte, ad ea relaberentur, eaq; Api atque aliis idolis immolarent. Nimirum bonus interdum dormitat Homerus. Nec dicta, quæ obvertunt, tanti sunt, ut à vero dimovere cordatum possint. Nam quod DEUS ait Jer. 7, 22. Non sum locutus cum majoribus vestris, neque præcepi eis, quo die eduxi eos à terrâ Ægypti, de rebus holocausti & sacrificii: id ἐν λόγῳ συγκρίσεως est intelligendum, in respectu ad obedientiam Legi morali præstandam, quam Judæi negligebant, satis religiosos se putantes, si externo Sacrificiorum opere defuncti essent, identidem ingeminando: Templum Domini, Templum Domini, v. 4. Quales loquendi formulæ, in quibus comparatio ita describitur, ut inferius negetur & superius affirmetur, cum quâdam ὑπεροχῇ in sacro Codice non infrequentes. Vide-sis illas conferentim apud *Glassium*, lib. 3. tract. 5. p. 459. Ejusdem commatis est & alterum, quod ex *Amos* c. 5, 25. & loco illi parallelo Act. 7, 42. necunt. Neutro enim Sacrificiorum cultus planè interdicitur aut elevatur, cum particula negationem importans per ἢ interrogationis, & Græcum μὴ ponatur quidem, adeoque interrogationem affirmativam æquipollere faciat propositioni Negativæ: Sed tamen ἐλλειπτικῶς pro Non solum sit accipienda: כִּי אֵינִי אֵלֹהִים אֲנִי אֵלֹהִים אֲנִי אֵלֹהִים an Sacrificia & munus obtulisti mihi, scilicet tantum, i.e. non mihi tantum Sacrificia & munus obtulistis in deserto, sed & Diis alienis, Siccuth, Moloch, Cyun seu Remphan v. 26. contra quam præcepi Exod. 20, 1. seqq. Nam quod etiam verus in deserto sacrificiorum cultus non neglectus planè fuerit, in proclivi est probare ex Exod. XVII, 15, cap. 18, 12. c. 24, 5. Levit. 7, 38. c. 9, 9. & 10. Et hæc Ellipsis particula

B

la

læ לְבַרְכָּי tantum, in ea ἀνὴθέρει, quæ non simpliciter, sed secundum quid & quoad certam determinationem instituitur, in sacris est usitatissima. Unum in præsens exempli loco sufficiat Osee 6, 6. & Matth. 9, 13. Misericordiam volui & non Sacrificium scilicet tantum. Plura qui volet, legat apud Tarnovium Comm. super Joël. c. 2. v. 13. p. m. 81.

Causa instrum-
entalis.

VII. Primarius ergo Sacrificiorum Autor DEUS; illi vero, qui in diribendo atque ordinando illorum opere suam DEO & Ecclesiæ locabant operam, PRIMOGENITI erant, atque Sacerdotes. Siquidem divinus cultus incumberebat primogenitis ante datam legem, post ad Sacerdotes translatus fuit, quibus inserviebant Levite. Erat autem Primogenitorum Jus & prærogativa triplex: Nam quas Pererius numerat ex Tostato, facile huc referri possunt: Domini majestas, Sacerdotalis dignitas & dupla hereditas; quarum priores duas obscuriuscule quidem, concisè tamen Jacobus subinnuit in Rubene Gen. 49, 3. ראובן בכרי נתתי כחי ויראשירתי אותו יתר שאת ויותר עד Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea & principium roboris mei (LXX. δεξιὴ τῶν τέκνων, Luth. & Pisc. Erste Macht / prima Patriarchalis domus columna) prior in donis, major in imperio (sc. esse debebas, tanquam primogenitus.) Quod Chaldaeus omnium clarissimè exponit, sic vertens: Tu accepturus eras tres partes sc. primogenituram, & quæ hanc comitantur, sacerdotium & regnum; sed non accipies, quia incestu te commaculasti. Sacerdotium enim הַכֹּהֵנִים à Ruben translatum est in Levi: Regnum הַמְּלִכִּים & quidem duarum tribuum cessit Judæ: decem tribuum Ephraim. Duplex portio הַבְּכֹרִים assignata est Josepho, seu potius ipsius filiis 1. Paral. 5, 1. data sunt primogenita ejus (duplo major pars hereditatis paternæ, ut Sanctius exponit) filiis Joseph. Et hanc expositionem sequitur Lutherus: Der Oberst im Opffer / vnd der Oberst im Reich. Sicut autem in aliis, ita & in triplici hoc jure Primogeniti Messiam denotârunt, ut qui non tantum in V. verum etiam in N. instrumento disertè πρωτότοκος & appellatur Matth. 1, 25. Luc. 2, 7. & Col. 1, 15. πρωτότοκος & πάσης κτίσεως, qui locus, de humanâ quoque Christi naturâ accipiendus ratione domini & dominatus in creaturas, ex Psal. 89, 28. illustrari potest. Est enim Christus ratio-

tione harum prerogativarum *partim* Rex, ἐν πᾶσιν πρωτεύων, Col. 1, 18. & non tantum hostes, sed & fratres ac sorores sibi subiectos habens, populum spontaneum in decore sancto, Ps. 110, 1, 2, 3. *partim* Sacerdos, qui loco quinque siclorum quinque vulneribus patrem reconciliavit, indutus peculiari stola ac pallio, sanguine uvæ tinctis, Gen. 49, 11. & non tantum ipse benedictus, sed & aliis benedicens c. 22, 18. pertinuit enim ad Sacerdotium quoque redemptio siclorum quinque, & peculiaris vestitus, ac benedictio, tam *activa*, quâ a parentibus suis singulariter primogeniti fuere benedicti: quâm *Passiva*, quâ vicissim aliis benedicere potuerunt; *partim* denique, *duple portionis hæres*, Ebr. 1, 2. Est enim paterna, quam accepit hæreditas, non tantum mundus iste, Psal. 2, 8. Sed etiam Regnum cœlorum seu vita æterna, quam duplici jure possidet: *Uno pro se*, quia est unigenitus æterni Patris Filius: *Altero pro nobis*, quia Mediator est inter DEUM & homines, & gloriam hanc cœlestem perfectissima sua obedientia in his terris non sibi, quod Scholastici, Papistæ, ac papizantes quidam Calviniani ac Photiniani statuunt, sed aliis meruit, dicturus aliquando suis: Venite benedicti patris mei, κληρονομήσατε hæreditario jure possidete regnum Matth. 25 34.

VIII. Diximus verò divinum Sacrificiorum cultum post latam legem à primogenitis ad *Sacerdotes* translatum fuisse, iisq; Levitas inserviisse; nunc etiam probamus. Deposcit enim DEUS Num. 3, 12, 13. pro primogenitis Ebræorum sibi debitis *Levitas*, quo nomine & Pontifices veniunt & Sacerdotes, & præter hos re *Cunæus l. 2. c.* liqui, qui præcipuum sibi sacrorum ministerium vindicârunt; de-10. p. 166. ligitq; tribum Levi ad Sacerdotium & cultum sui in tabernaculo: idque partim ob causas dictas, partim ob zelum, quo tribus hæc ultra est injurias DEI, occidendo idololatrias vituli aurei, Exod. 32, 26. & 29. Deut. 33, 9. Cæterum ut *unus* semper & *summus* extitit *Sacerdos*, quem *δεξιτέρας* Sacerdotum Principem & Latino more *Pontificem*, quasi *Pontificem* qui facere, i. e. sacrificare possit, appellârunt: Sic Sacerdotes multi fuerunt, sed dignitate atq; autoritate quâm Pontifex inferiores: ideóque *secundi ordinis* dicti, 4. Reg. 23, 4. cui tamen ordini vicissim alii præsuere Sacerdotes, qui communi nomine cum summo Pontifice *δεξιτέρας* à Lat. ve-

tō Interp. Principes Sacerdotum, & Pontifices dicuntur, quod
 nisi probè observetur, facilè tenebræ offundi possunt locis Marc.
 4, 53. Actor. 4, 6. cap. 19, 13. aliis. Ultrorumque & Majorum &
 Minorum nomina, officia, vestitus, consecratio Exod. 28. & 29.
 describuntur, & ex Rabinis, Patribus, & Autoribus aliis fusius
 exponuntur à Sigonio l. 5. de Rep. Ebr. cap. 2. & 3. *Buxtorfius*
 ex Vajikra rabba Glossa magna in Levit. Sectione 26. ad Levit.
 XXI, 11. propter quinque res *Maximum* illum appellatum
 ait: Primò quod maximus fuerit בְּחָכְמָה *Sapientia*: Secun-
 dò, בְּכֹחַ *robore* propter oblationem & agitationem sacrificio-
 rum: Tertio בְּיָפְיָוִת *pulchritudine*: Quartò $\text{בְּעֵשֶׂר$ *divitiis*: Quinto,
 בְּשִׁנָּיִם *annis*. Ac de *Sapientia* quidem atque indolis præstan-
 tia elegans est *Philonis* locus lib. 2. de Monarchiá. p. m. 639. Po-
 stulat in eo viro lex præstantiorem homine indolem, quippè qui
 DEO sit familiaris præ cæteris, *situs in quodam divina humanæq; na-*
tura (si verum fateri licet) *confinio*, ut hoc Mediatore DEUS pro-
 pitietur hominibus, ejusdem ministerio porrigat eis largiaturque
 suam gratiam. De *pulchritudine* autem ac forma, quam non quo-
 tidianam, sed omnibus numeris absolutam esse oportuit, constat
 ex Levit. XXI. 17, 18, 19 & seqq. Unde idem Philo lib. de victi-
 mis. p. m. 653. $\text{Λειτουργεῖν ἄδενὶ τῶν ἱερέων ἔξεστιν, ὅς ἂν μὴ ὁλό-$
 $\text{κληρος ᾖ ἢ καὶ γὰρ τὰ βραχυτέτα μῶμ καὶ κομίζεται}$, sacrificare
 nulli Sacerdoti, nisi integro permittitur, cui ne minima quidem
 insit labecula. Quam ob causam Aristobulus Rex, ut Josephus
 prodit, cum Hyrcano fratri suo pontificatum abrogavisset, nasum
 præsecuit, ut mutilato corpore spem recuperandi honoris atque
 ad eò etiam facultatem illi adimeret.

IX. Et hinc Sacerdos hic præ reliquis typum Christi unici N. T.
 Sacerdotis & hominum pulcerrimi gessit, ut Epistola ad Ebræos
 id luculenter docet. Cujus collationis membra ab Oratione, ob-
 latione, benedictione, vestitu, tintinnabulis & aliis desumpta
 si videre aves, adiss *Gerhardi* Tom. 3. de Leg. Cerem. cap. 2. Sect.
 1. In his illud in primis de *Urim & Thumim* pulcrum atque asteri-
 sco dignum. Quamvis enim quid fuerit ratione Materiae & for-
 mæ ad eò difficile sit dictu, ut usurpare hinc possis proverbium ve-
 terum Ebræorum: *Elias solvet*; extra tamen omnem dubitationis,
 aleam

aleam positum videtur, non nisi Christum, qui est *δήλωσις καὶ ἀλήθεια* ut LXX. reddiderunt, sive ut ipse ait, *ὁδὸς καὶ ἀλήθεια* Joh. 14. eo ipso fuisse repræsentatum. Unde nobis perplacet illa *Alstedii* sententia, qui verba Apocalyptica: Ego sum A & Ω Apoc. 1, 18. c. 2, 16. c. 22, 13. huc accommodat. Ait enim, & verè quidem, pectorale fuisse typum Ecclesiæ: Urim & Thumim autem hieroglyphicum, ut ita dicam, Christi. Quare ut pectorali insculpta fuerunt nomina 12. tribuum (totidem enim gemmis constabat illud) quæ figurant Ecclesiam: ita Rationali (quod duos lapillos fuisse à 12. gemmis distinctos probat Josephus Historicus, pro certo sumit Scaliger) procul dubio inscriptum fuisse nomen Christi, quod in Apocalypsi est A & Ω, quibus literis respondent Ν & Π, quæ sunt initiales in Urim & Thumim. Unde notanter verba illa c. 1, 11. *ἐγὼ εἰμι τὸ Α καὶ Ω* Syrus vertit:

אני הוּרִים וְתֻמִּים Ego sum Urim & Thumim.

Quod & secutus est Ebraeus quidam, cujus Martinius meminit in Lexico: *אני הוּרִים וְתֻמִּים* Evolve si placet Alstedium ipsum latissimè hac de re differentem in Paratitlis Theol. p. 454. & seqq.

X. Erant autem Sacrificia quoad *materiam & formam*, ut & *Materia* has libemus paucis, non unius generis. Quoad *materiam* vel *animata* erant vel *inanimata*. *Animata* partim *terrestria*, ut vitulus, bos, vacca, agnus, hircus, aries; partim *Volatilia*, *Columba τῶν Φύσει τιθασικῶν καὶ ἀγαλασικῶν ἡμερωτάτων*, inter naturâ mansuetas & gregatim volitantes mitissima: *Turtur τῶν Φύσει μονωλικῶν τιθασοτάτων*, Avis inter solitarias cicuratu facillima, ut nominat *Philo* Vir inter Ebraeos & Græcos eruditissimus, lib. de Vict. p. 646 & in genere omnia animalia in sese munda juxtâ differentiam ab ipso DEO assignatam, Levit. 11. Quæ singula scitè ad Christum accommodat *Isidorus Hispalensis*, Philologus & Theologus cap. 1. Allegor. Levit. quando unius holocausti varias species unum signasse holocaustum Christum ait, qui oblatus est *in vitulo & bove*, propter virtutem crucis, in *agno* propter innocentiam, in *ariete* propter principatum, in *hircu* propter similitudinem carnis peccati, in *turture & columba* propter Deum & hominem, quia *Mediator Dei & hominis* in duarum substantiarum conjunctione ostendebatur.

B 3

Ina

Formas.

Inanimata alia *solida* erant atque arida, ut Thus, Sal, Panis, Simila: alia *liquida*, puta oleum, & vinum. Quæ universa quovis, quæ ad Christum respexerint nulli dubitamus, utpote penes quem est oleum lætitiæ, thus precum, panis vitæ, Sal incorruptæ integritatis, quo tam homines quam opera eorum redduntur DEO tanquam saporibus, grata & jucunda. *FORMA* vero Sacrificiorum *in modo offerendi & externis illis ritibus ac solennitatibus consistit*, quæ cuiusvis sacrificio peculiare fuere, & exactissime hinc inde in Levitico describuntur. Sacerdotes enim, ut Sigonius loquitur c. 2. lib. 4. p. 176. de Rep. Ebr. rem non modò obtulerunt, sed etiam sacram DEO fecerunt, exempli gratia victimam cum eam mactarunt, & sanguinem fuderunt, frumentum cum triverunt, similam cum oleo conspersam in sartagine frixerunt, thus cum adoleverunt. Ex quibus liquet, rem sacram DEO factam esse præcipue, *vel per sanguinem, vel per ignem; per sanguinem*, ut victimæ cum cædebantur; *per ignem*, ut libamina, cum aut in clibano, aut in sartagine, aut in craticula coquebantur. Quamvis ad victimas quoque ignis adhibebatur, cum aut adeps, aut extra concremabantur, aut carnes incendebantur, aut vescendi causa in ollâ elixebantur, vel flammâ adurebantur.

XI. Fuit autem ignis ille non profanus aut culinaris, sed *cælestis demissus & à Domino egressus*, de quo extat Levit. IX, 23. 24. Gloria Domini apparuit omni multitudini: Et ecce egressus ignis à Domino devoravit holocaustum. Unde *Philo* l. 3. de vitâ Mosis. p. m. 523. Ignis iste, inquit, qui in vulgari usu est tanquam contaminatus, ablegatus fuit ab Altari sanctissimo, *ἀνθ' ἧς φλόγα αἰθέριον ὄμβρησεν ἀπὸ τοῦ ἁγίου*, & pro eo demissus cælestis ex æthere, ut esset discrimen inter sancta profanaque, & inter humana divinaque. Conveniebat enim sacrificiis attribui naturam ignis incorruptiorem, quam est hæc quæ servit quotidianis usibus. Durasse autem dicitur usque ad *domum æternam*, quam vocant *domum seculorum*, quoniam per multa secula perennavit. *Hiscuni Ebraeus* citante Cl. Drusio Comm. ad diffic. loca Levit. c. 25. p. 257. Ignis, inquit, qui descendit in diebus Mosis, non descendit ab Altari æneo, donec pervenisset ad domum seculorum h. e. ad templum Salomonis. Circa quod tempus credibile est ignem illum rursus ad-

scen-

scendisse. Alius enim é coelo descendit post extractum templum
2. Paral. 7, 1. qvi, si nominato Hiscuni fides, ad Manassis Regis
tempora usque permanfit. Ira enim ille: Ignis, qvi descendit in
diebus Salomonis non ascendit ab Altari holocaustorum, donec
ascendisset in diebus Manasse. Discrepantes doctorum opi-
niones de hoc igne, qvem alii negant fuisse tempore templi se-
cundi, alii adfirmant, sciens híc prætereo: nec Rabinorum com-
menta attingo, qvî inextingvibilem fuisse dicunt, ac proinde nec
alimento eguisse, nec aqua extingvi potuisse, etiamsi integro flu-
mine obrueretur: in domo secunda super altare cubuisse instar
canis, cum in domo primâ cubuisset instar Leonis. Illud noto,
qvòd nonnulli ex Ebræorum commentariis referunt, *faciem Leo-
nis in coelesti isthoc igne conspectam fuisse: qvòd si verum est, nihil
aliud repræsentare potuit, quam magnum illum & invictum
Leonem de tribu Juda Christum: cujus acerbissimam passionem
à vindicante DEI justitia atq; ira influctam aliàs hoc igne denotatam
fuisse non dubitamus.*

Cunæus l. 1. de
Rep. Ebr. c. 14.
p. 92.

XII. Nec finit nos *Frantzius*, qvi Disp. V. Scholæ Sacrif. §. 89.
rei hujus non obscura legit vestigia ex Epistola Ebr. cap. 13, 11, 12.
ubi qvia *exustio* sacrificialium carniū igne non nisi coelesti facta
de passione Christi extra portam, typicè exponitur, pia consequen-
tia hinc deduci arbitratur, igne ipso sacrificiali denotatam fuisse
iram, seu potius *vindicantem DEI justiciam*, cujus æstum ac furorem
Christus in ara crucis sustinuit. Sicut enim Sacrificia non pro-
derant, nisi consumpta tali igne, qvo volebat Deus: Ita nec aliqua
passio humano generi salutem procurare potuisset, nisi quam ci-
tra Satanæ & hominum consilia DEUS ipse instituit, & Christus
sponte sua subivit. Nam qvòd Judæorum hæc intervenit opera,
non necessitate aliqua factum est, sed Dei permissione. Potuisset
enim Deus vel ipse pro genere humano Christū occidere, sicut in
Monte oliveti, & cruce, cum ira DEI colluctanti animæ passio-
nes intulit immediatè: Vel hominibus crucifixionem hanc im-
ponere, sicut Abrahamo maetationem Isaac præcipiebat. Aliud
igitur est *passio*, aliud *passionis modus*. Passionem Christi DEUS de-
crevit, & ut fieret voluit, voluntate nempe, & decreto *beneplaciti*.
Modum autem patiendi, qvo Christus à Judæis irâ atq; odio flagran-
ti

tibus damnatus, & à Pilato, secundas illis agente, in dierectum
actus, tantum *permisit*, ita quidem, ut permissionem illam pro sa-
pientia sua infinita ad generis humani salutem dirigeret. Proin-
de *passio & mors Christi non occasionalis* fuit afflictio, quod Photinia-
ni somniant, qualis fortè Martyrum esse solet; sed atrocissima
pœna ex ipsissimo Dei decreto profecta, & ab igne justitiæ Vin-
dicatricis Christo peccatorum nostrorum onus bajulanti irro-
gata.

Finis.

XIII. *Finem* quod attinet, ob quem tam operosa ac sumtuosa
olim instituta, ac servata fuere sacrificia, eleganter ut omnia eum
exprimit *Philo Judæus*, lib. de Vict. p. 648. Si quis, inquam, ex-
aminare velit causas, cur illi prisci homines aggressi sint sacrifi-
cia, duas præcipuas inveniet. Unam *cultum Dei*, vel per se honestum
ac necessarium: Alteram *utilitatem sacrificantium*. Ea duplex est, dum
bona impetramus, & à malis eripimur. Cæterum primo illi gene-
ri, quod solum DEI honorem sibi proponit, Lex aptè Holocausto-
ma tribuit, quando victima integra igne absumitur, humana cu-
piditate nihil inde sibi usurpante. Alterum genus quoniam ad homi-
nes pertinens ipsorum opinione dividitur, etiam Lex subdistingvit,
ut alio bona quaerantur, quod nominatur *pro salute*: alio fuga ca-
lamitatis, quod *pro peccato* dicitur. Atque ita Holocaustoma so-
lius est DEI, cui semper debetur honor, etiam si nihil expectare-
mus ab eo gratiæ: reliquæ duæ species ad nos propriè pertinent:
altera incolumitatem postulans & profectum in melius: ea verò,
quæ pro peccato nuncupatur, veniam delictorum & *Medicinam*
langventis animæ. Haftenus ille. Cui nos hoc addimus, Sacrificia
medicinam hanc non propriam virtute, sed vi & efficaciam solius
meriti Christi, quod eminus representabant, præstitisse, ut *visibilia*
invisibilis Sacrificii Sacramenta, sicut nominat Augustinus. Erat e-
nim hic verus sacrorum illorum finis, & nucleus, in quo potissi-
mum exercebatur Patrum pietas atque fides, ut Christum in Sa-
crificiis suis, quasi jam immolatum intuerentur. Quo fiebat, ut
summa cum animi devotione ad sacra hæc accederent, non se-
cus atque nos ad Sacram Domini Mensam, in quâ positum esse
scimus Agnum illum DEI, qui à Sacerdotibus sacrificatur, sed non
more sacrificii, ut loquitur Canon Nicenus. Verum de fine
Sa-

Sacrificiorum plura jam non addimus: *ἐτέρας γὰρ ἴσιν ἔργον
χολῆς ταῦτα.*

XIV. Jam ad *Subiecti descriptionem* properamus, & quod Sacri- *Descriptio*
ficia *expiatoria* fuerint, ac *quomodo* id præstiterint declaramus. *Subiecti.*
Quod expiarent probatu facillimum est. Scriptura enim expres-
sè testatur universum Sacrificiorum cultum ad id primitus fuis-
se institutum, ut DEUS ille Israëlitis ritè & secundum volunta-
tem suam coleretur, & mediantibus his ipsis sacrificiis vel uni-
verso populo, vel privatis, qui illa offerebant, propitius redde-
retur. Nam quid primum illud, quod in Scripturis exprimitur,
sacrificantium par, Cainum & Abelem, sacrificiis suis quævisse
putemus aliud, quàm ut majestatem DEI his ipsis ceremoniis
ritè colerent, eundemq̄ve sibi redderent placatiorem. Id quod
Isylus quoque Spiritus Sancti indicat aperte, quando non tan-
tùm sacrificia *oblationes suavissimi odoris quietis Jehove* nominat,
per quas ex commoto quietus, ex irato placatus, ex offenso re-
conciliatus fiat, & ut Poëta loquitur,

Maçtatâ veniat lenior hostiâ;

Verùm etiam *significantiſſimis illis vocibus, מִשְׁכָּן & כֶּפֶר* quæ rea-
tui tributæ idem significant atq; *ἀπολύτρωσις*, id est, luo Gen. 31, 39,
& *ἐξιλάσκεσθε* Levit. 17, 10. ad finem & effectum hunc indige-
tandum subinde utitur. *Quomodo autem expiarent*, dicere non
æqvè facile. Nam & *Socinus* lib. 2. de Serv. cap. 13. Sacrificio-
rum expiationem statuit; Veruntamen ex pura DEI benignita-
te dependentem: non quod in ipsis fuerit aliquid, quod vel
DEUM ad condonanda peccata movere, vel ejus pro quo offe-
rebantur culpam resarcite aut compensare potuerit. Quare ut
appareat, quâ ratione Sacrificia expiatoria nuncupemus, distin-
cta & *Expiationis & ipsorum Sacrificiorum consideratio* instituenda.
Est autem *Expiatio* hætenus duplex, & accipitur vel de expia-
tione culpæ & pœnæ *in foro divino, & coram DEO facta*; vel de
expiatione pœnæ *in foro politico, & coram hominibus*. Illa obtin-
gebat per Sacrificia, quatenus organa erant ac media Sacra-
mentale quippiam habentia, quo futura satisfactio Christi pro
culpâ & pœnâ tum æternâ, tum temporali quoad maledictio-
nem divinam spectatâ penitentibus per fidem applicabatur:

Ⓞ

Hæc

Hæc verò per eadem fiebat Sacrificia, quatenus externæ erant
Ceremoniæ à signato distinctæ, expiantes peccata, vel *ceremo-*
nia, ut immunditiem carnis ex contactu morticini; vel alte-
rius Leviticè immundæ rei contractam: vel *moralia* quædam,
nempè per ignorantiam & negligentiam commissa: Horum
enim pœna per Sacrificia tollebat, ita ut peccatores iterum
Ecclesiæ, cui hoc modo quasi satisfiebat, reconciliarentur; reli-
qua autem peccata, ut homicidia & adulteria, & alia gravio-
ra non poterant coram hominibus per sacrificia expiari, sed qui
talia admiserant, mortis supplicium, subire cogebantur.

XV. Sic & *Sacrificia* diversimodè considerantur: vel *IN SE*,
prout sunt externæ Ceremoniæ Mosaicæ, & sic peccata non ex-
piarunt, ne illa quidem, si reatum spectes, & rigorosum *DEI* ju-
dicium, quæ ignorantia & infirmitatis appellantur, quia ma-
nifestum, quod cruor pecudû crimina delere, & effectus spiritua-
les edere non possit. Ideoq; de illo dicitur, quod non potuerit in
conscientiâ purgare cultorem Ebr. 9, 9. nec auferre peccata c. 10,
1. Vel *in vero suo usu*, quem duplicem habebant *Legalem* & *Evange-*
licum. *Legalem*, quatenus peccati atrocitatem & reatum designa-
bant, quod scilicet peccator dignus esset ira occidi, quem admo-
dû victima necabatur: Et in hoc usu sacrificia erant *media contri-*
tionis. *Evangelicum* verò quatenus partim ut *signa* futuram Chri-
sti satisfactionem & mortem figurabant, partim ut *Media pro-*
missionem gratiæ obfignabant, & Sacramenti instar remissio-
nem peccatorum offerebant & conferebant. Et respectu *usus hu-*
jus Evangelici signum cum signato conferentis dicuntur luere,
portare, & expiare peccata, Levit. 1, 2, 3. cap. 2, 1, 2. c. 17, 11. item
esse *in odorem quietis*, i. e. medium reconciliandi hominem Deo,
& *δολιχόλυ*, per quod Deus futuram filii sui satisfactionem obtu-
lit atq; applicavit. Quemadmodum enim foetore peccatorum
nostrorum erat offensus, & à nobis aversus Deus, Esa. 59, 2. ita ex
grato & svavi odore sacrificii incensi, non quidem *in se* conside-
rato; Sic enim insvavis fuit & graveolens, sed *ratione Antiypis*,
delectationem rursus coepit, hoc est, remisit iram & propitia-
tus est peccatori, Levitic. 4, 31. *Relata* ergò Sacrificia ad
CHRISTUM & verâ in ipsum fide oblata, **DEO** fuere
gra-

gratissima, atque efficacia futurae salutis applicandae instrumen-
ta. *Separata* verò à re signata, ita quidem, ut in illorum ob-
latione animi ultra Leviticos ritus non ascenderent, non tan-
tùm non grata erant, verùm etiam ob fidei defectum, quàm
maximè exosa. Ex quibus manifestum evadit, impingere
Socinianos non leviter, docentes concionem Evangelii de
CHRISTO & ipsius beneficiis in Veteri Testamento Patti-
bus incognitam fuisse. Quod si enim res ita haberet, ut illi vo-
lunt, sequeretur, Ceremonias istas DEO placuisse *per se*, & non
eâ ratione, quod essent umbra & typus CHRISTI, quod op-
pidò absurdum esse nemo non videt. Quis enim lanienam pec-
cudum, & sordidum illum sacrificandi ritum, quemadmodum
Spiritus Sanctus illum extra CHRISTUM, Esa. 66, 3. aestimat,
augustam DEUM placandi vim & potentiam ex sese habuisse
affirmare auit?

XVI. Nec obstat, quod & ipsi Sacrificia, dum ad *Vetus Testa-*
mentum in Problemate restringimus, non ad Evangelium de
Christo, sed ad Legem referre videamur. Accipimus enim hic
Veteris T. vocem, non ut Legis tantùm doctrinam significat in
monte Sina promulgatam, & promissionibus gratiæ, quæ N. T.
voce quibusdam veniunt, contradistinctam, sicut hanc acce-
ptionem tradit *Chemnit.* part. 1. Conc. Trid. fol. 14. col. 2. Sed *pro*
statu religionis & Ceremoniarum ante Christum natum, inter
quas sunt, quibus meritum Christi fuit repræsentatum, & fide-
libus applicatum. *Ceremoniæ* namq; *Leviticæ* (verba sunt Amplissi-
mi Dn. D. Höpffneri in aureâ, quâ de Coenâ Domini publicè præ-
legit, *Isagoge* cap. 4. Aphor. 2.) respectum habuerunt in V. T. &
ad Legale, & ad *Gratiæ Fœdus*. Ad *Legale*, quatenus velut Chiro-
graphum nobis adversum obsignarunt peccatum & maledi-
ctionem legis peccatores manentè, atque sic fuerunt transgres-
soribus conciones reales & visibiles professiones de peccati fœ-
ditate & noxia. Ad *gratiæ verò fœdus*, quatenus Ceremoniæ istæ
Leviticæ futura bona eminus ostendebât, & promissionis com-
plementũ adumbrabant, & prout Sacramentale quippiam in se
continebât, etiam applicabant remissionem peccatorũ, Lev. 4, 31.
6, 5, 16. Neq; enim Patres, qui sub V. T. vixerunt, gratiæ divinæ &
fidei

fidei in Messiam tunc futurum, & vitæ æternæ planè exsortes fuerunt: tamen non tam *claram & distinctam* atque nos in Novo testamento Mediatoris sui habuerint *notitiam*, sed partim promissionibus, partim typis & umbris implicitam atque involutam. Quo nomine *Augustinus* civitatem DEI usque ad revelationem N. T. *non in lumine, sed in umbra vixisse* dicit lib. 18. de C. D. c. 1. De cætero, ut eadem nobiscum justitiâ, quam *imputatam* appellamus, justificati fuerunt: ita eandem quoque salutem & felicitatem expectant. *Illud* docet Paulus Rom. V, 19. Hoc verò Christus ipse Matth. VIII, 11. Dico autem vobis multos ab Oriente & Occidente venturos & accubituros cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum. Cujus postremi fidei desiderium atque ardens votum extat Genes. 49, 18. *Salutare tuum* (שׁוֹשׁוּנִי in quo expressum nomen שׁוֹשׁוּנִי) expectari Domine, sive ut Forsterus reddit: *Salutari tuo intentus fui*; vel adhuc elegantius: *Saluti tuæ incubui Domine*, juxta Avenarii interpretamentum. In quam sententiam pulchra sunt & Chaldæi Paraphrastis verba: *Salutare tuum expecto Domine, dixit Pater noster Jacob: Non expecto salutem Gedeon, filii Joas, quæ est salus temporalis: neque, salutare Samson, filii Manoa, quæ est salus transitoria: sed expecto redemptionem Christi filii David, qui venturus est ad accersendum sibi filios Israël, cujus redemptionem desiderat anima mea.* Discrimen ergò inter fidem Patrum in V. T. & nostram si reperitur, non *essentiale* dicendum est, sed *accidentarium* ex diversâ gratiæ divinæ dispensatione ortum. Inde est, quod quidam etiam in V. T. ante Christum natum Novum Testamentum extitisse dicant, quod prisci patres pari nobiscum ratione fuerint salvati, Act. 15, 11. Veruntamen cum N. T. propriè sic dictum novissimis temporibus sit sancitum, & è monte Sionis ab ipso filio DEI incarnato promulgatum, ac novis Sacramentis obsignatum, Mich. 4, 12. id non nisi ratione *promissionum Evangelicarum*, quas fide sibi applicarunt, & *significationum typicarum*, in quas eminus respexerunt, est intelligendum, sicut agnus quoque dicitur occisus ab origine mundi, Apoc. 13, 8: & Abraham vidisse Christum seu Messiam diem, Johan. 8, 6. nempe in typis & promissionibus vera fide apprehensis. Quibus adde illa *incarnationis preludia*, quibus

Fi-

Filius DEI cum Abramo apparuit, & aliis, eum vultum, eum-
 que habitum corporis sibi finxit, quem postea gessit in terris, il-
 loque videndum se praebeuit. Quorsum *Cunaeus* illud Apostoli refert,
 Ebr. 7, 3. ἀφομοιωμένον τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, Assimilatus Filio DEI,
 l. 3. de Rep. Ebr. c. 3. in quo sententiam de Melchisedeco con-
 tra communem opinionem defensat, & quod Filius DEI fue-
 rit, cui Abrahamus decimas dedit, confirmat: Quem tamen
 hodie refutat *Glassius* in *ἑρμηνείᾳ*, David. Psal. 110. Sect. 4. Quare
 & ad Vetus Testamentum & ad Novum commodè referri possunt *Sacrifi-*
cia, modò distincta illorum consideratio observetur. Quatenus
 enim ad ordinem spectant & Judæos in officio continuerunt, ne
 ipsi cultus aut ritus sibi fingerent, ipsosque de irâ DEI, de pecca-
 tis & æternis eorum pœnis monuerunt, ad Vetus Test. perti-
 nent. Quatenus autem umbræ fuerunt, & typi Messiae venturi,
 homines de ratione salutis æternæ conducet facientes, hætenus
 non quidem ad ipsum N. T. ad ipsius tamen *promissiones* refe-
 runtur, & nihil aliud sunt, quàm ipsa doctrina Evangelii typis
 & umbris involuta. Tantum de *Subiecto*.

CAPUT II.

De Problematis PRÆDICATO.

XVII. PRÆDICATUM absolvunt sequentia: *Christum &*
ipsius mortem satisfactoriam adumbrarint. In quibus duo veniunt
 probè penitenda, videlicet (1.) OBJECTUM adumbrationis,
Christus & Mors ipsius satisfactoria; (2.) Ipsa adumbratio. De ist-
 hac prius.

Est autem *adumbratio* vocabulum Metaphoricum, simili-
 tudine partim ex *Opticis*, partim ex *Pictura* accersita. Prior simi-
 litudo Col. II, 17. extat, ubi umbra corpori opponitur: Quæ (ce-
 remoniæ Leviticæ) sunt umbra rerum futurarum: at Corpus est
 Christi. Umbra namque *Opticis* est defectus & absentia lu-
 minis, corporis opaci interpositi figuram utcumque referens.
 Assimilat enim figuram opaci, ejusque motum sequitur: quod
 scite expressit *Lucretius* lib. IV.

Umbra videtur item nobis in Sole moveri
 Et vestigia nostra sequi, gestumque imitari,
 Aera si credas privatum lumine, posse

C 3

In-

Indugredi, motus hominum gestusq; sequentem.
 Dicit ergò Umbraticum V. T. cultum Christum cum beneficiis
 suis tanquam *σῶμα*, i. e. rem ipsam repræsentasse, sed imperfe-
 ctè & obscure: sicut umbra corporis humani, figuram ejus im-
 perfecte repræsentat. Unde ex hoc loco quidam comma 9. hujus
 capituli exponunt, & *σωματικῶς* vertunt *realiter*, quasi per illud
 inhabitatio DEI personalis Umbraticæ opponatur, quâ DEUS
 olim habitabat in tabernaculo, in Templo & super arca fœderis
 in propitiatorio. Quæ explicatio bona quidem, sed non suffici-
 ens, cum omnis Unio etiam accidentaria & essentialis sit realis,
 & Deitas quoq; in credentibus habitet realiter, sed non ita ut u-
 nam cum iis personam constituat. *Posterior* autem Ebr. 10, 1. ha-
 betur: Lex enim (ceremonialis) *σκιάν ἔχων* umbram obtinens
 futurorum bonorum, *ὅτι ἀψήν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων*, non
 expressam formam rerum. Legem sive hostias legales vocat um-
 bram, non imaginē, Metaphorâ à Pictoribus desumptâ, qui vultū
 alicujus repræsentaturi, carbone primū summa ducunt lineamē-
 ta, quibus vultus utcunq; agnoscitur, idq; *σκιαγραφεῖν* appel-
 lant: mox vivis coloribus superinductis *εἰκόνα* expressam ima-
 ginem effigiant. Similiter Deus sub lege Ceremoniis *σκιάν* um-
 bram quandam Patribus delineavit: In N. verò T. *εἰκόνα*, vi-
 vam imaginem expressit: Per quam vocem non *ἐκτύπον* intel-
 ligas, quæ repræsentat aliquid, id scilicet, ad cuius exemplum est
 facta, quemadmodum figura, quæ exprimit lineamentum faciei
 vocatur imago ejus, sive Icon; sed *πρωτότυπον* vel *δέχέτυπον*,
 ad cuius exemplum fit vel factum est aliud. Illo enim modo Sa-
 crificia sunt imago Christi, sicut hoc modo Christus est imago
 Sacrificiorum.

XVIII. Cæterum & alia occurrunt, quæ officium hoc repræ-
 sentandi in Sacrificiis illustrent, vocabula. Vocantur enim *πα-
 ραβολαί*, similitudines Ebr. 9, 9. *ὑποδείγματα* cap. 8, 5. cap. 9, 23.
ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, v. 24. *παραβολή* comparatio, similitu-
 do, *ἀπὸ τῆς παραβάλλειν*, quasi juxta jacere, quia unum cum alio
 collaturi ad id plerunq; adjicere solemus & admovere, quod
 nostri vocant: *gegen einander halten*. Svidæ est *λόγῳ ἀι-
 νυγματώδης καὶ κενεχυμυδῶ* *πρὸς ὠφέλειαν φέρων*, oratio ob-
 scu-

scura & occulta ad utilitatem ferens, v. g. ad fidem, vel pietatem. Habent ergò Parabolæ obscurum quid, quatenus non sunt res ipsæ, sed has tantum similitudine quadam referunt; & tamen rudioribus docendis sunt accomodæ, quatenus hi rerum ipsarum capaces non sunt; qualis quoque Sacrificiorum tempore infantilis erat Ecclesia. Ἰπόδειγμα autem proprie significat *submonstrationem*, quando alicui ob oculos ponitur, & quasi submonstratur, quid fiat vel fieri debeat, unde pro ἰποδειγματι exemplo & documento postea usurpatur. Polybius de Annibale loquens, ἰποδειγμα τῶ π λήθει π αἰῶν ἀδύλον. Item pro exemplari. Laërtius ex Platone: ὅλι κῆρ τὸ ἰποδειγμα ἐν ἡν ἀφ δ ἀυλὸν ἐδημιέργησε, ubi de mundi fabricatione loquitur. Utraque significatio ut in scripturis occurrit; pro exemplo enim sumitur Ebr. 4, 11. Jacob. 5, 10. 2. Petr. 2, 6. pro exemplari, Ebr. 8, 5. cap. 9, 23: Ita præsentis rei apprimè convenit. Sacrificia enim & exempla sunt & exemplaria. Exempla, quatenus divinæ justitiæ quoddam quasi præstant documentum, & peccatorum atrocitatem, poenarumq; gravitatem ad oculum demonstrant. Exemplaria verò quatenus futura Christi beneficia repræsentant, ad verum illorum δεχέτυπον velut expressa. ἀντίτυπον deniq; quod bis tantum habetur in N. T. est, quod repræsentat typum. Τύπος autem hætenus idem quod δεχέτυπον seu πρῶτότυπον prima forma, juxta quam similia alia efformantur, ut in Typographiâ δεχέτυπα sunt exemplaria primæ scripturæ vel matriculæ, quibus infunduntur characteres literales, qui respectu Scripturæ impressæ typi vocantur. Aliàs Typi Theologis sunt signa & imagines rerum futurarum: quorsum quidam trahunt dicta 1. Cor. 10, 11. Rom. 5, 14. Sed non ita commode, ut ostendit Glasius, lib. 2. Phil. S. p. 407. Antitypa verò res typis significatæ. Ita Ceremonias legales, Typos Christi & rerum spiritualium vulgò appellamus: Christum verò ipsum ἀντίτυπον significatum. Neque hæc significatio Scripturæ incognita, Ita enim Petrus Baptisma nostrum vocat ἀντίτυπον diluvii, h. e. significatum aquæ diluvii, 1. Petr. 3, 21.

XIX. Sunt autem Typi sic accepti vel *Necessarii*, quando ipsa Scriptura fundamentum præfigurationis ostendit, ex quo explanationis talis necessitas conspicitur, ex quorū censu sunt Sacrificia;

vel

vel arbitrarii, quando non manifesta eque ad Christum in
 sacris fit applicatio, concinna tamen & jucunda inter personas
 quasdam earumque acta & ipsummet Salvatorem *ἰσοπέπειον*
 ex textus consideratione elucet. Illos alias *innatos*; hos vero *il-*
latos vocant. Utrique vicissim vel *Totales* sunt vel *Partiales*. *Totales*
 vocamus, qui in omnibus aut certe potioribus partibus antity-
 pum præfigurant, sicut *Sacerdotium Leviticum* totum ferme ad
 Christum in Epistola ad Ebræos, tum expressè tum implicite
 refertur. *Partiales* vero, qui unum atque alterum tantum repræ-
 sentant, idque vel ex parte sui, vel ex parte antitypi. *Ex parte*
sui, sicut Sacerdotes non in omnibus, quæ faciebant, Christum
 referebant, sed in iis tantum, quæ Sacerdotium spectabant. *Ex*
parte antitypi, quemadmodum unum sacrificium non omnia,
 quæ ad Christum ejusque vitam, conversationem, passionem &
 mortem pertinent, typicè expressit, sed aliquid tantum eorum.
 Plures typorum divisiones, qui volet, modò nominatum visat
Glossium l. 2. Ph. S. part. 1. tract. 2. p. 412. Nos ex dictis constare
 putamus ad liquidum, ritus illos Leviticos non inanes fuisse lu-
 sus, aut muta spectacula, dicis gratia instituta, sed *antitypa* &
exemplaria, & futurorum bonorum quædam quasi *rudimenta*;
 quæ illis jam præsentibus iterum obsolescere debuerunt, sicut
 ædificio jam constructo *idea*, quàm in tabula formaverat artifex,
 nullius est usus amplius: & imagine vivis coloribus illustratâ
 prima *σκιαγραφα* evanescit.

XX. OBJECTUM autem adumbrationis CHRISTUS est &
mors ipsius satisfactoria. Sub quibus per Synecdochen totum ty-
 porum complementum intelligas; nimirum & CHRISTUM
 ipsum & omnia officii ipsius Mediatorij opera, tum *effecta*, ut
 obedientiam & satisfactionem loco bonoque nostro legi divi-
 næ præstitam, Rom. 5, 19. cap. 10, 4. tum *eventa*, ut reconciliatio-
 nem cum DEO, Col. 1, 20. placationem, Rom. 3, 25 liberationem
 à captivitate Diaboli, mortis, inferni, Luc. 1, 71. Ebr. 2, 14. 15. 1. Cor.
 15, 55. redemptionem ab execratione Legis ad pœnam & obe-
 dientiam exquisitissimam nos obligantis, Gal. 3, 13. mundatio-
 nem à peccato, Ebr. 1, 3. tum quoad *reatum*, qui tollitur in justifi-
 catione, Eph. 1, 7. Col. 1, 14. tum quoad *dominium*, quod tollitur
 in

in sanctificatione, 1. Petr. 1, 18. Gal. 1, 4. acquisitionē deniq; vitæ
 & salutis æternæ, Act. 4, 12. Hæc enim Icon illa est, hæc μέλλοντα
 αἰαθα, quorum umbram lex Ceremonialis, adeoq; & sacrificia
 habuerunt, uti meminit Epistolæ ad Ebræos Autor c. 10, 1. Unde
 & bonorū illorū λεῖψρον Christum vocat cap. 9, 11. quod intelli-
 gendum, tum *subjectivè*, tum *effectivè*, quia partim de bonis futu-
 ris ipse fuit, partim eadem nobis comparavit. Vocantur autem
 μέλλοντα αἰαθα, quia sub Veteri Testamento *quoad complemen-*
tum nondum fuerant, sed futura erant. Dico, quoad *complemen-*
tum. Alioquin etiam in V. T. Christus cum beneficiis suis fuit,
 non tantum ut DEUS, verum etiam ut Mediator. Unus enim
 est Mediator DEI & hominum, homo Christus JESUS, heri, ho-
 diè & in secula, 1. Tim. 2, 6. Ebr. 13, 8. non obstante, quod tum
 homo nondum fuerit. Est enim Christus *Mediator vel per poten-*
tiam, vel per Meritum. Secundum *potentiam*, ut Mediator sit, non
 est necesse, ut continuò sit homo: Nam potentia *πρωτως* est à
 Deitate. At ut secundum *meritum* Mediator noster sit, hominem
 eum esse necesse est, cum remissionem peccatorum non nisi ut
 Sacerdos nobis impetret: Sacerdos autem esse non potest, nisi
 homo sit. At secundum hanc rationem non est necesse, ut sta-
 tim ab initio homo fuerit. Salus enim merito Christi impetra-
 tur, ut *per causam moralem*. Ejus verò generis causæ hæc est ratio,
 ut vim habeat etiam, cum non est *actu*, modò habeat, ut Philo-
 sophi loqui amant, *esse cognitum*. Cujus rei exempla in commu-
 ni vitâ sunt compluria. Nullum enim esset commercium, nulla
 communitas, si promissa nihil efficerent, nisi postquam imple-
 ta sunt. Itaq; cum DEO, cui omnia sunt præsentia, & in perpe-
 tuo quasi *viv* constituta; certissimum esset Christi meritum, et-
 iam si futurum fuit, tamen vim & efficaciam suam exertavit.
 Inde est quod ἑσυστο Sponsor, voce significantissima, Ebr. 7, 22.
 appelletur. ἑσυστο enim, Varino finiente, est ἀσφαλῆς ἀντιποιήσις
 καὶ σταθερὰ ἢ ἢ πείτιν ἀναδοχή, i.e. firma & stabilis retribu-
 tio, aut pro aliquo repromissio & fide-jussio. Quapropter cum
Objectum adumbrationis Christum & ipsius beneficia constitui-
 mus, eaq; Novo Testamento vendicamus, tum id nequaquam
 vel *promissionis, vel efficaciam, sed complementi ratione* volumus intel-
 lectum, in quantum satisfactionem Christi obedientia, quam
 loco

D

loco

loco, bonoq; nostro debuit offerre, tum temporis tantum erat sponsa, nondum autem præstita reapse. Præstabatur autem tum demum, cum Christus *cruentam* simul atq; *ignominiosam* subeundo mortem, seipsum piacularem hostiam in Ara crucis Deo Patri stitit, & peccata mundi sustulit: Cujus rei Levitica olim sacrificia, quod ipsis ex divina ordinatione hominum, pro quibus offerebantur, peccata imponebantur, quidam quasi anteambulationes fuerunt & præludia.

XXI. Duo ergò hinc contra Adversarios notanda. Unum: *Mortem Christi objectum fuisse adumbrationi*. Alterum: *Mortem Christi esse satisfactoriam*. Illud ne ipsi quidem penitus negare audent. Diserte enim *Socinus* illa sacrificia, quæ publicè, i. e. pro universo populo statis temporibus fiebant, mortem Christi præfigurasse ait l. 2. de Serv. c. 9. cui pollicem premit *Volckelius* Misnicus lib. 5. de vera Relig. c. 22. p. 573. Hoc verò nudo, quod ajunt, capite subruum eunt, mortem & sanguinem Christi non *acquirenda*, sed *confirmanda* salutis medium esse, magnâ laterum contentione clamitantes. Utrumq; paucis confirmandû. *Prius* pater. Nam quid roboris aliàs haberet usurpata toties Apostoli, vel quicumq; alius Epistolæ Autor, argumentatio Ebr. 9, 13. & alibi, à sacrificiis V. T. ad sacrificium Novi, à purgatione per sanguinem hircorum & vitulorum ad purificationem per sanguinem Christi, nisi pro confesso ponas, hæc ab illis fuisse adumbrata. Aut quid aliud cruenta illa victimarum mactatione, nudatione, concisione præfiguratû, quam ipsissimam Christi passionem & mortem dices? Quippè in quâ vestes nudatus, manus & pedes terebratus, totû corpus delaceratus deartuatusq; fuit, ut omnia ossa ipsius quiverint numerari, Pl. 22, 16, 18. Huc igitur *initium* sacrificiorum referas, huc *finem*. Neq; enim prius sacrificia oblata legimus, quam promissio de morsu calcanei, i. e. morte seminis benedicti publicata, Gen. 3. nec diutius usurpata, quam completa illa fuit. Usque adeò à Christi morte illa separari non possunt, ut neq; esse cœperint hac nondû promissa; neq; superesse amplius possint, hac jam persoluta. Mortem autem Christi non corpoream tantum delinearunt, sed & poenam sanctissimæ ipsius animæ inflictam. Quamvis enim hoc de omnibus & singulis dicere non habeamus: cum partem tantum eamq; visibilem hæc aut illa sacrificia

cia, ac non omnes passionis circumstantias aliquando signifi-
 carent, unde regulæ illæ Theologicæ: *Figura non habet omnia, quæ
 habet Veritas, ut nec imago Regia quæ Rex: & Veritas majus quid suâ fi-
 gurâ habere debet,* sicut dicitur: Plus hîc est quàm Jonas; Attamē
 quoniam in iis sacrificiis, quæ mactata cremabantur, fuerit aliquid,
 quod animæ quoque; pœnâ in Messia adumbrarit, nulli dubitamus;
 ignis siquidem, cum ubique; fermē iræ divinæ Symbolum sit, com-
 bustio sacrificiorum per ignē, de qua in antè quoque; diximus, cur
 ad iræ divinæ sensum, quem in anima Christus pertulit, referri
 nequeat, ratio nulla subest. *Posterius* inde stabilimus. Satisfacien-
 dum erat divinæ Legi, maledictionē & pessima quæque; ob trans-
 gressionem nobis interminanti, & sanguinis quidem effusione,
 (sine hac enim non fit remissio, Ebr. 9, 22.) ad mortis æternæ si-
 mul atque; temporaneæ perpeffione satisfaciendum, urgente hor-
 rendi carminis edicto Gen. 2, 17. Quocunq; die comederis, *morte
 morieris,* i. e. morte non tantum corporali, sed etiam spiritali, &
 æterna. Non enim *particularis* est hæc comminatio, de aliqua
 morte; sed *indefinita* æquivalens universali de quavis morte.
 Atqui mors dicitur non sola corporalis, ejusque; satellites, morbi,
 dolores, afflictiones animi & corporis; verum etiam spiritalis
 & æterna. Hoc onus cum humeris nostris impar esset, ut qui mo-
 ri quidem poteramus, sed non moriendo satisfacere, mortem
 Θεανθρώπου intercedere necessum erat, qui & mori & morte elu-
 cтары, aliisque; auxilio & lytro esse posset. Christus igitur *ἰκέτης ἡμῶν
 μεσίτης* noster factus onus hoc ἀβάσαλον in se suscepit, & quæ
 non rapuit solvit Psal. 69, 5. Deo propter peccata homines abo-
 minanti & potestati tenebrarum destinanti semetipsum per
 spiritum æternum offerens victimam piacularem *εἰς ὀσμὴν εὐω-
 δίας,* Ebr. 9, 14. Eph. 5, 2. atque; animam suam dans *λύτρον ἀντὶ πολ-
 λῶν* pretium redemptionis *PRO* multis, sive ut Paulus explicat *ἀν-
 τὶ ἅλων* *ὑπὲρ πάντων,* 1. Tim. 2, 6. particula *PRO* vicem & locum
 connotante, contra quæm statuit Socinus, qui effectum & utili-
 tatem tantum ait significare.

XXII. Sustinuit ergo Christus *vice locoque; nostri* (1.) *Mortem tem-
 porariam.* Nemo enim morte temporali moritur, nisi ob pecca-
 tum: Τα γὰρ ὀψώνια τῆς ἀμαρτίας θάνατον, Roman. 6. v. 23.

cap. 5, 12, adeò, ut etiam sanctissimorum & coram mundo innocentissimorum Martyrum mors, quam plerunqve adversarii hinc obvertunt, ex peccati radice originaliter propullulet, & ipsi quoque communem mortis conditionem subire cogantur, quia peccati nondum plane sunt immunes, quod Martyr ille Maccabæus fatetur, 2. Maccab. 2, 32. Nos quidem, inquam, hæc propter peccata nostra patimur. Quamvis enim liberati sint à peccatis quoad *reatum & dominium*; manent tamen iis obnoxii quoad *inherentiam*, & motus concupiscentiæ primos, itemque castigationes temporales, usque dum peccatum per mortem penitus ex carne expurgetur. Quod dum asserimus, reliquos fines in morte Martyrum conspicuos, ut *δοκιμασίαν* sive exploramentum fidei & veritatis cœlestis confirmationem, nequam volumus exclusos. Proinde cum mortuus sit Christus morte hac temporali, aut propter sua, aut propter aliena peccata mortuus sit, necesse est. Non propter sua: Nulla enim habuit, cum fuerit *ὁσιος, ἀνακ, ἀμίαντος, κεχωρισμῶτος, ἀπὸ πάντων ἀμαρτωλῶν*, Ebr. 7, 26. Ergo propter aliena, nempe nostra. Id quod Paulus expressè tradit Roman. 5, 6. Christus cum adhuc infirmi essemus suo tempore mortuus est pro impiis. c. 6, 10. quod mortuus est, peccato mortuus est semel: Et clarissimè omnium, cap. 4. v. ult. Traditus est (in mortem) propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.

(2.) *Gehennalem & æternam*, cuius similiter reatum omnes in Adamo contraxeramus, actu ipsam perpessuri, nisi Christus *Vir dolorum*, quo nomine solus in Scripturâ appellatur, Esa. 53, 3. nostri loco eam sustinisset. Quemadmodum verò mors hæc partim *in desertione à D E O*, partim *in cruciatu* inenarrabili iræq; ac iudicii divini sensu horribili consistit: ita utrumque hoc Christus exantlâsse dicitur. De desertione extat, Psal. 22, 23. Matth. 27, 46. De cruciatibus verò sanguinei sudoris grumi, & confortator angelus loquuntur, Luc. 22, 44. *Æternitas* autem *extensivè* spectata ob unionis hypostaticæ indissolubilitatem, & æternam ac infinitam eius potentiam, in infernali hac Christi morte locum habere non potuit. Impossibile enim erat ipsum *νεκρωθῆναι* tene-ri ab eâ, Act. 2, 24. Nec illa morti huic est *essentialis*, cum non ad

im-

immensitatem dolorum infernalium, sed ad durationem & continuationem illorum perpetuam, quæ ei accidunt, pertineat. Mortem igitur Christus subiit, si *essentiam & pœnarum intensiorem* respicias, æternam; si *durationem*, æternæ æquipollentem. Fuit enim tanti meriti & valoris ad tempus tolerata, ut non tantum responderet pœnis omnium hominum æternum duraturis, sed etiam eas supergrederetur, & ob personæ infinitatem, ipsa quoque infinita esset. Ex quibus omnibus quid colligemus aliud, quàm mortem Christi *satisfactoriam* fuisse? Mortem enim & temporalem & æternam aliorum loco subire nihil aliud est quam satisfacere.

XXIII. Quod ipsum ulterius ob oculos quasi nobis ponunt legalia Sacrificia. His enim quid aliud agebant veteres, quàm ut impuratos se, & mortis utriusque reos testarentur, & in locum proprium catharmata substituerent, subinde piaculi & pollutionis hujus suæ chirographum renovantes. At solutio in illâ reificatione non erat, nisi oculos simul in cruentum Christi sacrificium intendissent, & per ipsius mortem & sanguinem, tum adhuc effundendum peccata sua expiatum iri certò sibi persuassissent. Hinc Apostolus *mortem Christi intercedere* debuisse disertè ait Ebr. 9. 15. Taceo, quod alias Scriptura tota sit in eo, ut doceat, Christum in se recepisse peccata, eumque propter illa attritum, occisum & oblatum esse, suo sanguine nos justificasse, vitiis sanasse, morte reconciliasse, ut emota mentis & duræ frontis sit, qui nihil aliud morte sua Christum effecisse dicat, quàm ut doctrinam suam de peccatis jam remissis confirmaret, & exemplum nobis præberet, ne ipsi quoque pro fide & pietate mortem adire dubitemus. Ita enim non plus ipsius mors & sanguis, quàm Martyrum quorumque nos juvaret, quo nihil est absurdius: ut hostibus crucis nequaquam tale videatur, dum mortem Christi *non pœnam*, quam nostri loco subierit, sed *afflictionem*, inquam occasione peccatorum nostrorum inciderit, impudenti ore nominant; cum toties Scriptura *non occasionem*, sed *causam passionis & mortis Christi* peccata nostra appellitet, ipsique propterea imposita atque imputata dicat. Id quod omnium optimè expressit Esaias cap. 53. v. 4. *Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros*

ipse portavit. LXX. ipse peccata nostra portat, & pro nobis dolet. Vers. 5. *Ipsē vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* *Disciplina Pacis*, (i. e. pacem cum DEO concilians) *super eum*. Quod alii, Ebræum כִּלְיָוִי vertentes *retributionem*, sic explicant: *Disciplina retributionis nostræ super eum*, id est, supplicium, quod nos retribuere & rependere debemus pro peccatis nostris, hoc super eum imposuit DEUS: q. d. Quicquid pœnarum DEUS à nobis pro peccatis exigere debuit aut potuit in omnem æternitatem, id ab innocenti Filio Pater exegit: V. 6. *Omnes nos quasi oves erravimus & posuit (uno quasi impetu fecit incurrere) Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Ebraicum enim וַיִּדְרֹךְ primò significat *occurrere, incidere*, secundò irruere in aliquem, eumq; occidere, uti Gedeon irruit in principes Madian Jud. 8, 21. Utroq; autem modo peccata nostra in Christum incurrerunt. *Irruerunt enim ut eum perderent: inciderunt, ut ab eo perderentur.* Hic mecum *Photiniane* considera, peccata tua ac mea partem illius exercitus fuisse, qui in Christum irruit, eumq; trucidavit, & si micam Christiani sanguinis habes, satisfactoriam Christi mortem blasphemare vel tandem cessa!

SECTIO II.

PROBLEMATIS ΚΑΤΑΚΕΥΗ.

XXIV. Præmissâ necessariâ Terminorum *ἐξετάσεις* ad ipsam Problematis confirmationem accingimur, atq; orthodoxam de typico hoc Sacrificiorum munere sententiam argumentis, non ita quidem multis, stabilimus. Nam *ὁ νόμος ἐς δίκαν τεία ἔπειτα ἀρχέσει* dicente Pindaro in Nemeis. Includimus autem illa his cancellis, & quædam facimus *Generalia* ex natura *Subjecti & Predicati*, quædam *Specialia*, & quasi inductiva à Sacrificiis in specie petita. *Ἄπαντα γὰρ πιστεύομεν ἢ διὰ συλλογισμῶν, ἢ ἐξ ἐπαγωγῆς* omnium enim quæstionum fidem facimus, aut per Syllogismum, aut per inductionem, aut etiam per utrumq; ut *Stagirita* docet.

CA.

CAPUT I.

Argumenta generalia.

Ex Parte Subjecti tale necesse potest generale argumentum:
 Quodcumq; competit Sacrificiis V.T. ratione Causarum, Effectorum, Ad-
 junctorum, aliarumq; Circumstantiarum, id denegandum ipsis non est.
 Atqui adumbratio Christi & mortis ipsius satisfactoria competit Sacri-
 ficiis V.T. ratione Causarum, Effectorum, Adjunctorum, aliarumq; Cir-
 cumstantiarum. Ergo Adumbratio Christi & mortis ipsius satisfacto-
 ria ipsis deneganda non est.

Major suâ luce radiat, cum absq; his ne quidem essent Sacrifi-
 cia. Minorem probamus per singula membra. (1.) Causas quod
 spectat, primas in illarum ordine, sibi vindicat Efficiens Princi-
 palis DEUS; cui & institutio Sacrificiorum, & abrogatio acce-
 pta referenda: Illa quidem post promissam; Hec verò post jam
 peractam passionem & mortem Christi facta. Utraq; certissimo
 est indicio, non nisi illius præfigurandæ ergo Sacrificia à D E O
 fuisse instituta. Extra hoc enim si fuisset, DEUM Sacrificia præ-
 cepturum fuisse non dixerim, βωμοῖς γὰρ ἀπύργις πῦρ ἐς δρεῖλαι
 χορεύσσει, γέγηθεν ὁ θεός, ἀλλ' ἔπολλῶ πύρρῃ φλέγῃσιν: gaudet
 enim D E U S aris nullo igne calentibus, quas cingit virtutum
 chorus, non istis flagrantibus flamma, ut Philonis verba huc ap-
 plicem l. i. de plantat. Noæ p. m. 178. lit. E. Tanta namq; maje-
 stas ejus, ut Libanus non sufficiat ad succendendum, nec anima-
 lia ejus ad holocaustum, dicente Esaia c. 40, 17. Sola infinita
 Christi victima sufficit. Et ideò quoq; mutanda illa erant oppor-
 tuno certoq; jam tempore, ne ipsi D E O desiderabilia, vel certè in-
 nobis acceptabilia, ac non potius, quæ hîc significata sunt, crede-
 rentur, inquit Augustinus lib. 10. de Civit. D E I cap. 5. Instrumenta-
 lis verò veterum Sacrificiorum causa erant Primogeniti, quos ty-
 pum Messiaë fuisse jam supra diximus; & Sacerdotes, quos inter
 velut inter ignes Luna minores eminebat כהן הגדול Sa-
 cerdos Magnus, ceu supremus sacrorum Antistes qui præter alias
 officii Sacerdotalis functiones solus in pectore gestabat שֵׁם ה' fi-
 vē τὸ λογιεῖον, in quo posita erant Urim & Tumim, unde oracula
 petebatur reddebaturq; ve; solus quoq; in adytum interius, in quo
 præsentior Numinis vis, ingrediebatur, & semel quidē tantum
 in

in anno, videlicet decimo die mensis Tisri, celebri illo expiationum festo, Levit. 16. contra quam statuit *Sigonius*, cætera acutissimus, qui ex loco Ebr. 9. malè intellecto, quasi semel quidem quotannis solus, at quotidie cum aliis intraverit, existimavit. Sicut autem tres præcipuè Sacerdotalis muneris partes sunt, nempe *docere, orare & sacrificare*, uti pulcherrimo Samuelis exemplo id patet, 1. Sam. 7. 8. 9. cap. 12. 23. 24. ita perfectissima ratione Christo τὸ νόμος τέλει, Rom. 10. 4. conveniunt, quod præter cæteros N. T. Scriptores Apostolus ille ad oculum monstrat, cujus Epistola ad Ebræos sacrosancta est, & nil nisi Deum spirat: Tribuit ille Christo præter nomen *δεξιτέρας*, quod undecies, *ισπέρας*, quod sexies usurpat, bis cum epitheto *μεγάλος*, præterque vocationem immediatam ac singularissimam, cap. 5. 4. 5. 6. *Officialia* quoque munia, in *docendo*, cap. 1. 1. c. 2. 3. c. 3. 1. in *sacrificando* & offerendo, nimirum se ipsum ut hostiam perfectissimam, c. 8. 3. c. 9. 12. & seq. cap. 10. 12. & c. Quorsum ingressus quoque in adyta refertur non sine sanguine, c. 9. 7. 12. in *orando & intercedendo*, c. 5. 7. cap. 7. 25. c. 9. 24. in *benedicendo*, c. 6. 14. c. 7. 6. 7. Ut nihil dicam de reliquis, in quibus nec Levitici Sacerdotes in genere, nec summus etiam Sacerdos Christum præfigurare potuerunt, æternitate nimirum, atque utriusque officii, Regii ac Sacerdotalis in unâ personâ conjunctione: quæ in Melchisedeci typo representata pluribus exponit *Glassius* in *ἑρμηνεία*. David. Sect. 4. super Ps. no. XXV. At verò materia Sacrificiorum quam amicè cum Christo & ipsius Sacrificio, quod ipse est, conspirat! Hic enim est, ut modò dicti Patris *Augustini* verba nostra faciamus, qui nunc in *hædi* typo, nunc in *ovis*, nunc in *vituli* offerebatur. *Hædi* quod Sacrificium pro delictis sit; *Ovis*, quod voluntaria hostia; *Vitulus*, quod immaculata sit victima. *Immaculata* ait. Evæsse enim hæc jubebantur equi, asini, porci, & alia immunda animalia, nec ferocia admittebantur, rabidi Leones, terribiles ursi, frendentes apri; Sed uti munda, ita ex mundorum genere mansuetissima: quod vicissim ad Christum applicat Augustus Pater; singulari, inquit, & solo vero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est; ideo primis temporibus ad hoc Sacrificium talibus significationibus prophetandum, immaculato-

Cuneus l. 2. de Rep. Ebr. c. 4. p. 136.

Id. l. 3. p. 293.

August. Serm. 108. de Temp. Tom. 10 fol. 831.

l. 1. contra ad- vers. Leg. & Prop. c. 18. Tom. 6. fol. 603.

rum animalium sacrificia DEUS sibi iussit offerri, ut quemadmodum illa immacolata erant à corporum vitiis, ita speraretur immolandum esse pro nobis, qui solus immaculatus fuerat à peccatis. Hactenus ille. Hinc & *victimam* dicitur expressè Ephes. 5, 2. & *Agnus DEI* immaculatus, 1. Petr. 1, 19. Ibi quidem materia sacrificandi & Sacerdos distincta erant: Hic autem in uno conveniunt ambo. Ipse enim secundum Apostoli doctrinam, obtulit *semetipsum, idem scilicet & Sacerdos & Sacrificium, idem Deus* 1. 1. de fide ad Petr. c. 2. T. Op. 3. & *Templum*. Sacerdos, per quem sumus reconciliati; *Templum*, in quo reconciliati: DEUS, cui reconciliati. Solus tamen Sacerdos, Sacrificium & Templum, & hæc omnia DEUS secundum formam servi, ut scitè rursus Hipponensis, cujus verbis malimus hæc proloqui quàm nostris. FORMA quoque apprimè huc quadrat, ipsa Scriptura interprete. Hæc enim subindè Ceremonias illas Leviticæ, in quibus formam Sacrificiorum consistere diximus superius, ut typum cum antitypo eleganter confert. Quorsum referenda Sacrificii *Oblatio*, sanguinis victimæ *effusio & adpersio*, in confirmatione veteris fœderis adhibita, quippe quæ cum morte & effusione sanguinis Christi in confirmatione novi fœderis facta expressè comparantur, Ebr. 9, v. 16. & seqq. Quemadmodum enim *victimam* interficiebatur pro homine & quidem publicè coram Jehova Levit. 1, 5, 11. cap. 4, 4. cap. 16, 15. Sic Christus velut Agnus ductus est ad occisionem Esai. 53, 7. mortuus est pro omnibus, 2. Cor. 5, 15. per sui ipsius immolationem semel apparuit Ebr. 9, 25. per proprium sanguinem introivit in sancta, v. 12. & multas gentes adpersit Esai. 52, 15. Quibus & *χρησθεσια* & peccatorum in caput pecudis coniectio annumeranda. Sicut enim per manuum impositionem *victimam* rea efficiebatur, & sacrificium pro peccato, Levit. 16. dicebaturq; portare peccata: Sic in Christum coniecit Pater peccata omnium nostrum Esai. 53, 6. & fecit illum pro nobis peccatum sive hostiam pro peccato, 2. Corinth. 5, 21. Esaias **UN** vocat v. 10. quæ vox de Sacrificiis pro peccato usurpata legitur, Levit. 4, 3. c. 5, 6, 7. & seqq. Hinc portare quoque dicitur peccata nostra, Esai. 53, 11. non à nobis ea tantum *auferendo*, ut veritatis illi seplasiarii explicant; sed in seipsum quoque *transferendo*, quod similitudo imputationis peccatorum victimæ piacula-

ri manibus impositorum postulat Levit. i. v. 4. ubi Latinus, qui à vulgo nomen accepit: *Ponetq; manus super caput hostie.* In fonte: *& manum suam.* Utrumque rectum & Scripturis familiare. Nam Levit. 8. 14. & 18. *manus*, est in plurali. Et firmatur autoritate Rabinorum. Licet enim nonnulli *manum dexteram* heic intelligant ut Jonathan; tamen Aben Ezra, *omnis* ait, *impositio fiebat duabus manibus.* Cui pollicem premit Gerundensis Moses ita scribens: Imponet manum, i.e. ambas manus, citante *Drusio Comm. in Levit. c. 2. p. 233.* Significabat autem hoc ritum, qui offerebat, se scelera sua conjicere in caput bovis, qui propterea mactabatur. Quod ad gentiles quoque dimanavit. Notum enim illud Cœlii: *Quod illorum capiti sit*, imitatione Græcorum dictum, apud quos *εἰς τὴν αὐτῆ κεφαλὴν*, genus est imprecationis, quo in alium malum retorquemus. Sicut David ait: *Redeat molestia ejus in caput ejus, & super verticem ejus violentia ejus descendat.* Aliàs non diffitemur, *כִּפּוּר* interdum de solâ ablatione accipi, id verò semper & ubique usu venire negamus & pernegamus. Aliud evincunt loca plurima Esa. cap. 30, 6. c. 45, 20. cap. 49, 22. cap. 52, 11. cap. 69, 12. 2. Reg. 12, 13. 3. Reg. 24, 10. & præfens quoque contextus docet, uti id probat meritissimus noster Theologus Höpffnerus: cuius rationes ex *addito aqvipollente* *כִּפּוּר* Gen. 49, 15. ex modo portandi, v. 10. & 12. cap. 53. Esai. ex *correspondentiâ correlati*, v. 5. & 6. ex *autoritate Petri Nasa* exponentis per *ἀνήνεγκεν*, 1. Petr. 2, 24. ex *loco parallelo*, Joh. 1, 29. vide sis & si habes in *Disp. de Satisfact. thes. 23.*

XXVI. *Fines* denique, ob quos instituta sacrificia, etsi multi sint & varii unus tamen *principalis* fuit, *commonefactio de futuro Sacrificio Messie in arâ crucis offerendo*: qui tantum abest ut ignotus fuerit piis illis Patribus, ut in nullo alio cognoscendo magis defudarint. Nec obscurum esse *Lex Ceremonialis* patiebatur, quippe quæ, ut Epistola ad Ebræos docet, nihil erat aliud, quam *pædagogia* & quædam quasi *manuductio* ad Christum, unde & *πρῆ* appellata à R. *פּרָה* constituit alicujus rei formam vel imaginem expressit. Ut nullum jam sit dubium, in ipso illo Sacrificiorum actu per Sacerdotes, Legis illius ministros, finem hunc præ cæteris fuisse inculcatum, *CHRISTI* quæ beneficia po-

populo exerto quasi digito ostensa. Nam & *docere* Sacerdotum erat, non lanienam tantum pecudum exercere, aut *caput esse sine lingua*. Quod si Moses, qui majores divitias arbitratus est *probrum Christi*, quam Ægyptiorum thesauros Ebr. 11, 26. omnem Sacrificiorum cultum à DEO præmonstratum populo tradidit, quis partem illorum præcipuam, qua probrum illud significabant, ipsum tacuisse aut neglexisse dicet? Intelligit enim Apostolus probrum Christi, non tantum quod in *Mystico*, verum etiam quod in *proprio suo corpore* sustinuit, per Sacrificia præfiguratum. Illud enim solum nescio an Ægyptiorum thesauris Mosen abstrahere & miseris Israëlitarum implicare potuisset. Ac ne rudem quidem plebeculam hæc latuisse, vel Samaritana illa muliercula nos docet, quæ ex communi & receptâ pridem hominum opinione in monte Garizim, ubi Manasses Cuthei gener, ex Judæorum Sacerdotio ejectus, cultum instituerat, quem generali vocabulo *μεσσην* indigerat Johannes, Messiam, quem venisse ignorat, sic affatur cap. 4, 25. *Scio Messiam venturum, qui dicitur Christus: quum venerit, ille nobis annunciabit omnia*. Convicta enim erroris de vero DEI cultu non jam amplius in typis, sed in *veritate* instituendo, v. 21. & seqq. inscitix suæ palliandæ ergò hoc affert, quòd scire se ait, Messiam, qui dicatur Christus, esse venturum: quasi profiteatur, se non planè ignaram esse ejus, qui umbris Leviticis fuit præfiguratus, & tantum quis ille sit in individuo, qui adhuc expectetur, nescire.

XXII. (2.) *Effecta* porro Sacrificiorum quod attinet, consistunt illa in *peccatorum expiatione, DEI placatione, immundorum sanctificatione*, de quibus planius & plenius in Levitico præcipitur. Illa verò ut de Legalibus Sacrificiis *typicè & organicè*, sic de Christi morte & sanguine *verè & realiter* enunciat Scriptura, ita quidem ut utrobique iisdem vocibus ac formulis utatur, quod magno est argumento, Typorum V.T. per Christi Sacrificium factum esse *complementum*. Sic de Sacrificio *pro peccato* dicitur, Levit. 4, 13. & seqq. Expiabit eos Sacerdos & remittetur eis: de *Christo* Ebr. 2, 17. ut misericors esset & fidelis Pontifex, ad expianda peccata populi. *De sanguine, sanctarum victimarum* Levit. 17, 12. *Anima carnis in sanguine est, ego dedi illum vobis super altare*

ad expiandum animas vestras, quia sanguis ipse animam expiabit: quod dictum in hac controversia palmarium est. De Christi sanguine Matth. 26, 28. effusus est in remissionem peccatorum, Eph. 1, 7. Per sanguinem ipsius habemus remissionem peccatorum, 1. Joh. 1, 7. Ipsius sanguis emundat nos ab omni peccato. De tota oblatione Levit. 3, 16. est oblatio suavissimi odoris quietis Jehovæ: De Christo, Eph. 5, 2. seipsum obtulit hostiam in odorem suavitatis DEO. Nec aqua aquæ, nec lac lactis similis! Nos superius de his effectis, ut & de causis sacrificiorum plura. (3.) Inter Adjuncta locum referimus & populum, in quibus Sacrificia celebrata, quorum neuter omine suo caruit aut mysterio. Uterque enim peculiaris, & non nisi à DEO electus esse debuit, Levit. 17, 8, 9. Deut. 12, 13, 14. Populus is ipse fuit, ex cujus lineâ Messias proditurus erat: Locus verò Tabernaculum Moisaicum, & Templum Salomonis, illud in Silo cum primis, hoc in Hierusalem, Judææ Metropoli, in quâ tantum hæc sacra ordinariè fieri debuerant. Dico ordinariè. Notum enim in Mizpa quoque Gilgal & Bethlehem, in areâ Ornam Jebusæi, in monte Carmelo & alibi oblata fuisse Sacrificia, id quod vel singulari DEI mandato, vel divino impulsu aut indultu factum esse judicant Theologi. Hæc uti Christum multa etiam foris apud alios passurum denotabant; Tota enim ipsius vita quotidiana passio: ita non extra Hierusalem moriturum significabant. Non enim fas est Prophetam perire extra Hierusalem, Luc. 13, 33. Nimirum ut ibi piacularis victima Deo fieret, ubi tot typis olim præfigurata erat, vel secundum alios ut ibi caderet, ubi primus homo gratia DEI exciderat: quod eo in loco, quo Hierosolyma postmodum ædificata fuit, paradisum fuisse quibusdam placeat; quorum sententiam ut meam non facio, ita nec omninò damno; sed tantum credibilius esse dico, Paradisum in Babyloniâ Mesopotamiæ contermina fuisse, & quidem non in totâ Babyloniâ, sed in ejus parte superiore, quæ in Scriptura Eden, & apud alios probatos autores Audanitis appellatur, uti hoc inter alios Belga quidam Hopkinsonus satis eruditè demonstrat in Synopsi Paradisi. Illud magis arridet, quod alii dicunt, Adamum ex Eden, situ Paradisi, ejectum in ipsam Judæam, quæ Paradiso ad occidentem sita propria quasi Sacrificiorum sedes est, aut prorsus in

vicinissimam Judææ fuisse emissum, ibiq; sacrificasse: quâ de re
videri potest Cl. Drusius, qui inter alia ex Salmanticensis Judæi *Comm. super*
libro Juchasin refert, *ibi hominem primum obtulisse oblationem, in quo* *hist. sacr. Sul-*
Davidis ævo fuit area Ornan Jebusæi. Atqui hæc fuit in monte Mo *pit. Sever. l. 1.*
riah, in quo templum postea Salomon extruxit. Nec video, quo *fol. 10.*
modo sibilo Cunæi digni, qui pia conjectura hoc asserunt. Tam *Cunæus l. 2. de*
enim ipse, quod exsibilat, falsum esse novit, quàm illi verum. *Rep. Ebr. c. 12.*
sciunt: imò fortassis magis isti. Pro se enim allegant dictum *p. 172.*
Gen. 3, 23 & emisit eum Dominus ex horto Eden ad colen-
dum humum, unde sumtus fuerat. Confer c. 11, 15. Sumtum autē
fuisse ex humo domus Sanctuarii vetus fuit apud Ebræos traditio.

XXIIX. (4.) Ex circumstantiis, quæ hîc adduci potuissent, aliis
una impræsentiarum sufficiat, præ cæteris roboris aliquid ha-
bens: nimirum Sacerdotii & Sacrificiorum veterū abrogatio, quam
evidēter adstruit, & Christo tribuit caput *Nonum Danielis*, ne quis
fortē putet, de facto id eventurum, non de jure, sc. per violen-
tiam Romanorum. Inter alia & hæc habentur: *In dimidio hebdo-*
maris deficiet hostia & sacrificium. At quare? Quia Sanctus Sancto-
rum unctus (Christus, in quo LXX. hebdomades finiuntur, & in
V. T. unctus dicitur propter personæ identitatem, & unctionem
humanæ naturæ in æterno Trinitatis consilio definitam, Patri-
bus promissam & typis adumbratam) adducet justitiam, imple-
bit visionem, peccatum abolebit, illudq; quasi hostia expiabit.
Nam pro: ad delendam iniquitatem, Ebr. est *כִּפֶּר* id est,
ad propitiandum pro peccato, & ut Aquila vertit, ad expian-
dum instar hostiæ, quæ peccati est expiatrix, & alibi vocatur
כֹּפֶר. Confer Jerem. 3, 11. Morte ergo Christi factâ sacrificia
Levitica cunctaq; ceremonialia, tanquam egena mundi ele-
menta, abrogata & antiquata defecerunt, fueruntq; *mortua*,
licet non statim *mortifera*. Fuit enim Lex Ceremonialis, ut
Scholastici loquuntur in V. T. *mortalis* id est poterat mutari: In
Ecclesia N. T. *mortua*, sed nondum sepulta & cum honore se-
pelienda: Hodiē autem omninō est *mortifera*. Quod si jam Sa-
crificia nullum ad Christum respectum habuissent, sed vim il-
lam sanctificandi & placandi ex opere operato obtinuissent,
nonne sequeretur, Judæos per realem hanc illorum abrogatio-

nam presentissima & efficacissima salutis suæ consequendæ ratione spoliatos esse? quod dicere perquam durum.

XXX. Ex Naturâ Predicati hunc in modum argumentamur:

Quodcumq; se habet ad Christum & mortem ipsius satisfactoriam, ut typus ad veritatem, umbra ad corpus, illud Christum & mortem ipsius satisfactoriam adumbravit.

Atq; Sacrificia V. T. expiatoria habuerunt se ad Christum & mortem ipsius satisfactoriam, ut typus ad veritatem, umbra ad corpus. E. Sacrificia V. T. expiatoria Christum & mortem ipsius satisfactoriam adumbrarunt.

Major ex naturâ Correlatorum liquet, οἷς τὸ εἶναι τ' αὐτὸν ἴσθαι τὸ πρὸς ἡ ὡς εἶναι, ut loquitur Philosophus. Minor est Scripturâ, quando Legalia sacrificia vocat ὑποδείγματα, i. e. ut Theophylactus vertit, obscuras figuras & representationes: σκιαὶ μελλόντων, adumbrationes futurorum, seu rudes adhuc picturas, quas viva imago subsequitur: ὡμοιοτάς similitudines seu prima doctrinæ rudimenta, infantilis Ecclesiæ captui accommodata: ἀντίτυπα ἀληθινῶν ἀγαθῶν imagines verorum bonorum seu rerum ipsarum figuratarum. Quò respicit Johannes de officio & beneficiis Christi sacerdotalibus loquens Johan. 1, 17. Lex (ceremonialis quoque) per Moysen data: gratia & veritas, (i. e. complementum eorum, quæ in typis & umbris à Mose fuerunt proposita seu res ipsa) facta est per Jesum Christum, tum merito, tum efficacia. Ubi observanda quoque emphasis verbi γέσθη, quæ ex antithesi verbi ἐδόθη explicatur à Theophylacto: Νόμος μὲν ἐδόθη ὡς ἀπόθεσις, ἀλλὰ μέσθ' τὸ Μωσέως· ἡ χάρις ἐγένετο, ἔχ' ἐδόθη, ἀλλὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Αὐθεντικὸν μὲν τὸ ἐγένετο, δευτικὸν δὲ τ' ἐδόθη. Ita typorum & quæ ad illos pertinent, esset dari: Rei autem typis adumbratæ facere. Huc spectat quoque, quod Paulus ait Col. 2, 17. Umbram fuisse in Ceremoniis; Corpus verò esse in Christo; quod quid aliud esse potest, quam Ceremonias Christum præfigurasse? Opponit enim absentiam exhibitioni & nudum umbræ aspectum corporis soliditati, ac deliri hominis esse admonet inanes umbras prehensare, cum liceat manibus tractare solidum earum corpus. Verum in his explicandis nolumus esse operosiores, cum labore hoc jam supra fuerimus defuncti.

CA-

CAPUT II.

Argumenta Specialia.

XXX. Argumenta specialia & quasi inductiva sacrificia in specie suppeditant; de quibus dubito, quemadmodum exponam; quod vereor, ne si singula explicare incipiam, non disputationem, sed volumen videar conscribere; si tantummodo pauca attigero, ne hostibus crucis Christi minus lucide appareat, quam perspicue illa Christum denotarent. Itaque utrique rei occurram quantum potero, & medebor cum satietati Lectorum, tum pertinaciam adversariorum. Fuerunt autem Sacrificia à DEO sex potissimum tradita in Levitico: *Holocaustum, Libamina, Pacifica, Sacrificium pro peccatis, Sacrificium pro delictis & Sacrificium consecrationis*; quorum quinque priora ad tria retulit Philo, *Holocaustum, Pacifica, & pro peccatis*, prout tres quoque Sacrificii offerendi causas allegavit, quas iam tum supra vidimus. His alia quaedam Lex adjecit, quæ non omnibus communia, sed singulorum propria extiterunt, quorum unum *consecrationis*, alterum *mundationis*, tertium *expiationis* fuit dictum, de quibus ex professo Sigonius in suo de Rep. Ebraeorum. Omnia hæc ut unicum Christi Sacrificium adumbrarunt, quippe expiantia & in odorem quietis Domino oblata, quod per se ipsa efficere non poterunt: Ita præ cæteris in iis eminuerunt duo *Hirci*, unus destinatus aris, alter in vicinum desertum missus, item *Agnus & Vacca rubra*, de quibus strictim nunc, & quasi per Saturam.

I. De Hirco emissario.

Dicitur Ebraicè Hircus iste **אֵיִלִּי** quod Chaldaeus Paraphrastes & Arias Montanus retinuerunt. Quid autem significet Azazel non una omnium est sententia. Ebraei cum Vatablo volunt *montis* nomen, & Vatablus eum juxta montem *Sinai* collocat in deserto, quo hircus ille cum peccatis populi fuerat relegatus. Melius Hieronymus *caprum emissarium* vertit. voce composita ex **אֵי** caper & **אֵלִי** quod abeuntem & recedentem notat ab **אֵלִי**. Martinus utrumque conjungit & tam hircum, quam montem inde appellatum hac voce venire censet. Tradunt enim

Levit. 16. 8.

enim Judæi eum hircum magno molimine in desertum ab alienigena quopiam deductum, ac mox de summo monte detrusum ad ima esse. Septuaginta *ἀποπομπῶν* dixerunt, uti & Symmachus, quod rectè ex ipsa quoque vocis origine reddas *emissarium*, licet Eugubinus, dicente Bonfrerio, malit *expiativum* veterere, eò quod *ἀποπομπῶν* Dii dicti sint malorum *Aversores*, calamitatumq; & pestium *Depulsores* atq; *averrunci*, & *ἀποπομπῶν* statim dies, quibus sacrificabatur Diis illis. Quo genere loquendi Virgil. l. 3. *Æneid* dixit:

Dii talem terris *avertite pestem.*

Et hæc notio non malè quoque huic Capro conveniret. Idcirco enim in solitudinem, adhibitis precibus & devotionibus, quibus in ejus caput omnia sua derivabant peccata, tanquam *κἀβαρῶν* amandabatur, ut si quid calamitatis propter peccata admissa, ipsis immineret, id totum DEUS in ejus dimissi caput converteret. Simile quid Ægyptios in Sacrificiorum ritu habuisse refert Herodotus in Euterpe cap. 5. quos ait in victimæ caput solitos imprecationes & maledicta congerere, ut si quid sibi vel Ægypto adversi impenderet, in victimæ caput id omne recideret. Porro, illud caput vel in fluvium demergendum præcipitabant, vel Græco alicui homini in foro venale proponebant, in cujus credo ventrem ac caput omnia hujusmodi maledicta, cum victimæ capite derivanda putabant. Alia quæ de *Tabernaculis* hic Judæi memorant, ab urbe Hierosolyma usq; ad desertum dispositis, in quæ confederint, qui hircum itentidem esca reficerent, suis autoribus exosculanda relinquimus: ut & illud de funiculo, cujus pars altera, cornibus hirci, altera ad scopulum fuerit deligata. Istud de *particula coccinea* verum si esset, lucem aliquam loco Esaiæ foenerari posset. Erat *particula* illa *coccinea*, Buxtorffo describente in Recensione Operis Talmudici lib. de Abbrev. Ebr. p. 190. longa & lata instar lingvæ unde vocatur *יִשְׁבֵּל*. Hæc ponebatur inter cornua ad frontem hirci emissi, & ad januam porticus templi, ea si albesceret post hircum emissum, latabantur admodum, & signum erat peccatorum remissorum, juxta illud Prophetæ: Si peccata tua rubra fuerint ut *coccinum*, sicut nix albescant, Esa. i, 18.

nostra non sit per *inhabitionem*, nostra tamen sit per *imputationem*, non *fiſtitiam*, sed *realissimum* DEI *judicium includentem*, quod fert de throno gratiæ ex Evangelio super peccatore in Christum credente. Quemadmodum enim peccata nostra Christo *realissimè* sunt imputata, ut passio ejus, qua reatum eorum luit, irrefragabiliter demonstrat: ita *realissimè* quoque *justitia Christi*, quam passione & morte sua peperit, imputari nobis dicenda est, vi antitheseos, quam Paulus urget 2. Cor. 5. v. ult. Nimirum non solum id verum est, quod inhæret in nobis, & ex formulâ Legis nobis inhære censetur: sed etiam quod à Deo per fidei apprehensionē à nobis habetur, & sic acceptum à Deo ex gratiâ judicatur esse nostrum per imputationem, sicut masculè hoc contra Pontificios adserit *noſter Höpffnerus* Disp. 1. de Justif. cap. 2. & ulterius declarare potest Apopompeus iste, cui revera peccata populi fuere imputata, tanquam typo Christi, in corpore suo per veram & realem imputationem mali culpæ, & appropriationem mali pœnæ peccata nostra bajulantis.

XXIII. *Posterius* quoque clarum. Sicut enim hircus sarcinam peccatorum impositam in desertum & montem Azazel secum abstulit, & eorum reatu Israëlitas typicè liberavit: Ita quoque Christus *κατὰ τὴν* factus peccatorum nostrorum reatum è conspectu DEI in montem Calvariæ & crucem quasi asportavit. *Ipse* namque *peccata nostra pertulit* (*ἀνὴνεν* quod proprie est *sum tulit*) *in corpore suo super lignum* ait Petrus 1. Petr. 2, 24. Quo in elegantem *Hypotyposin* animadvertit *Flavius*, quasi Christus pingeretur levans, trahens aut sublevans in crucem peccata nostra, veluti, si carnifex gestet in tergo reum suspendendum, ac cum eo in patibulum ascendat, ut ibi eum suspendat: Sic & Christus dicatur peccata nostra in crucem sublevasse, ac ibi ea crucifixisse, idque *in corpore*, aut super corpus suum, cui ea Pater per imputationem alligaverat, & quasi latronem jugulandum & perdendum imposuerat. Ita cum impii Martis pulli Christum in crucem sublevarunt, ipsis non cernentibus ille alios quosdam scelestissimos reos patibulo affixit, nempe peccatum, Diabolum, mortem infernum, veterem Adamum, factusque est morti mors, inferno pestis. Non absimilis est locutio Col. 2, 14. ubi *Chirographum* è medio sublatum & cruci affixum à Christo di-

ci-

citur. Duo ergò & dictum hoc Petrinum & emissarius ille caper
docent, nimirum Christum & tulisse peccata nostra & abstulisse.
Tulit per imputationem ea in se suscipiendo: abstulit per ap-
propriationem reatum à nobis amovendo. Tulit peccatorum
pœnas exantlando: Abstulit pœnis à se persolutis peccata nobis
remittendo, vel ab illorū pœnis nos liberando: ut non habeant
Sociniani quod in voce ἀνήνεγκε, quam per abstulit vertendam
ajunt, gloriantur. Nihil enim auferimus, quod non prius feri-
mus,

II. De Vaccâ Ruffâ.

XXXIV. *Vacca* sive Junix ruffa Ebr. בָּרַחַן וְרַחַן Græc. *Num. 19, 9.*
δάμαλις Bucula Sacrificium propriè sic dictum etsi non erat,
quia non in Atrio sancto immolabatur, nec adipēs cremaban-
tur in Altari, nec sanguis ad basin illius fundebatur; ad religio-
sam tamen pertinuit ceremoniam, & quasi medium quippiam
fuit inter sacrificium & profanam jugulationem. Quin & hoc
cum veris Sacrificiis habuit commune, quod *typus* fuerit & fi-
gura Christi, sicut passim Patres indicant & Paulus, vel qui alius
Epistolæ illius autor, clarè notat Ebr, 9, 13. Si sanguis taurorum
& hircorum, & cinis *vaccæ rubræ* adspergens coinquinatos sancti-
ficat ad carnis puritatem, (i. e. restituit eis libertatem conver-
sandi cum hominibus & ingrediendi templum) quantum magis
sanguis Christi, qui semetipsum obtulit inculpatum DEO per
Spiritum æternum purgabit conscientiam ab operibus mortuis
ad serviendum DEO viventi. Ubi *αἰωνίαν λύτρωσιν*, cujus in-
præcedenti versu mentio, analogiâ typi & antitypi confirmat,
fermè hunc in modum: Si victimæ, & lotiones typicæ efficere
potuerunt puritatem carnis: multò magis Christi victima effi-
cax fuit ad æternam *λύτρωσιν* acqvirendam. Sed prius est. E. &
posterior. Ratio consequentiæ: quia per Spiritum æternum se-
ipsum obtulit *ἀμωμον* inculpatum DEO. *Antecedens* inter alia
probat exemplo Vaccæ ruffæ, cujus extra urbem educiæ & cre-
mata cinis collectus lustrali aquæ inspergebatur ad purgandos
eos, qui ob legalem suam immunditiam à templo hominumq;
convicti, arcebantur. Num. 19. v. 9. *ut sint* (cineres) *in aquam,*
asperisionis. Nam *peccatum est*, i. e. ut *Onkelos* interpretatur, expia-

tio pro peccato. LXX. ὕδαρ ῥαντισμῶ ἀγνισμῶ Θεοῦ. Erat autē hęc
purgatio non merē carnalis, sed spiritualis quoq; suo modo. Ut e-
nim immundities externa & exclusio ab Ecclesię coetu populū
de impuritate interna seu peccato ejusq; fœditate ac reatu co-
ram DEO commonefaciebat: Ita aspersio per aquam separa-
tionis & receptio aspersorum in cœtum Ecclesię spiritualem.
ῥαντισμὸν asperisionem & emundationem per Christi sangvi-
nem significabat, & quatenus sacramentale quid habebat, et-
iam obsignabat. Hinc de sanguine isthoc Esaias c. 52, 15. Ipse ad-
sperget gentes multas; & autor Epistolę ad Ebr. c. 10, 22. Acceda-
mus cum vero corde in plenitudine fidei ἐῤῥαντισμῶ τοῖς καρ-
δίαις aspersi corda à conscientia malā, & abluti aquā mundā.

XXXV. Convenientia ergō & ratio typica in καθαρισμῶ &
ῥαντισμῶ consistit. Καθαρίζειν verò, & quod cognatum huic, ῥαν-
τίζειν generatim significat purgare seu emundare aliquid à sordi-
bus seu macula. Metaphoricē autem idem est, ac tollere pecca-
rum quoad reatum, qui est spiritualis quædam fœditas & im-
mundities. Atq; hęc mundatio ut dupliciter consideratur, ratio-
ne acquisitionis & applicationis: ita duplex quoque institui potest
collatio. Ratione Acquisitionis; sicut enim ex cinere vaccę cre-
mata aqua lustralis seu lixivium fiebat, quod in usum polluto-
rum adservabatur: ita morte & passione Christi, justitia & mun-
dissimum quasi animę balneum nobis partum, quo lavari pos-
sumus & supra nivem dealbari. Sola enim perfectissima illius
obedientia est mundities illa plusquam nivea, quā loti DEO
placere possumus. Si quis hac non fuerit expiatus, peribit anima illius
de medio Ecclesię, quod de lustrali ὡς ἐν τύπῳ dictum. Num. 19, 20.
Ratione Applicationis: Nam quemadmodum mundatio illa Le-
vitica fiebat per Hyssopum v. 18. ita mundatio sanguinis Christi
expiatoria applicatur per ministerium verbi & Sacramentorum ex
DEI parte, per fidem ex nostra. Hinc Johannes: Jesu Christi filii
DEI (extra urbem passi ac mortui) sanguis (per ministerium Ver-
bi & Sacramentorum applicatus & animabus nostris quasi ad-
spersus) emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1, 7. Et Petrus 1. Pet. 1, 2.
eos, quibus epistolam scribit, dicit electos esse ex præscientia
Dei Patris in sanctificatione Spiritus (h. e. per Spiritus sanctificatio-
nem)

nem & quidem *activam*, qua Spiritus nos sanctificat Verbo & Sa-
 cramentis) in *obedientiam & aspersionem* (i. e. fidem quâ asper-
 guntur corda fidelium Christi sanguine & purificantur.) Atq; ita
Hyssopus Symbolum est tum *Ministerii Evangelii*, tum *fidei*, quâ ad-
 spersionem per Evangelium oblatam adipiscimur, nobisque
 applicamus. Quæ applicatio fit tum in *justificatione*, tum in *sancti-*
ficatione. In *Justificatione*, quando mundities Christi per fidem
 nobis imputatur, & quicquid superest sordium spiritualium te-
 gitur. Unde Paulus testatur nos justificari sanguine Christi, Rom.
 5.9. In *Sanctificatione* autem, quando peccata in hærentia abolen-
 tur non simul & semel, sed successivè, & in hæc quidem vitâ
 quoad *dominatum*, in alterâ autem quoad *omnimodam deletionem*:
 quod successivâ illâ aspersione, quæ die tertio & septimo fiebat, v. 12.
 significatum puto.

III. De Agno.

XXXVI. Inter *Agnos*, quorum maxima quotannis oblata fuit
 multitudo, ut in solo jugi sacrificio intra annos mille mactati
 computentur 730000, eminuit *Paschalis* Exod. 12. 3. & *Anniculus*
 ille manè & vesperi pro peccatis populi offerendus Exod. 29. 38.
 Quorum *Antitypum* Christum fuisse & *Vetus & Novum* probat In-
 strumentum. *Vetus* Es. 53. 7. Sicut ovis ad occisionem ducetur,
 & quasi Agnus coram rudente se obmutescet. *Novum* Joh.
 1. 29. 36. Ecce Agnus DEI, qui tollit peccatum mundi. Ubi arti-
 culus *ὁ αἰνὸς* (quem Syrus ita expressit: Ecce Agnus DEI ille)
 exerto quasi digito monstrat, Christum illum esse agnum, quem
 Esaias promiserit & modo dicti *Paschalis & Anniculus* præfi-
 gurarint. Reliquas causas, ob quas Christus Agno conferatur,
 egregiè & prolixè explicat Rivetus in Comm. super Esai. ibi-
 que notat Johanni Evangelistæ cap. 1. mirificè vocem Agni
 de CHRISTO usurpatum placuisse, unde etiam ad minimum
 in Apocalypsi eam trigesies inculcet. Omnium verò clarissima
 vox est Pauli, 1. Cor. 5. 7. *Pascha nostrum* (i. e. verus Agnus Pascha-
 lis) *Christus est immolatus pro nobis*. Idq; non Pauli tantum, sed &
 Patrû temporibus notum fuisse ostendit Epist. ad Ebræos c. II, 28.

Schol. Sacrif.
 D. Frantzii
 Disp. 6. th. 32.



Fide (scilicet in Christum: de hac enim loquitur per totum caput) *Moses peregit Pascha & effusionem sanguinis*, ne qui perimebat primogenita, ipsos tangeret. Quomodo autem fide in Christum, si Christi nullus in Paschate illo locus? Sic ergo statuendum: per ritum hunc Ebræos implicite professos esse, ab æterna morte se liberatum iri per sanguinem Messia; unde & postea cum superliminari, quod utriusque posti superius incumbit, (quæ omnia sanguine agni tingenda erant) typum & formam crucis exhibebant, uti docet Cyprianus l. 2. testimon. contra Judæos cap. 22. Sicut apud Ezechielem cap. 9. Angelus jubetur omnes occidere, præter eos qui signati erant *litera Tau*, quam Eruditi ante Esdras, apud Ebræos priscos habuisse figuram crucis, fuisseque similem literæ Tau Græcorum & Latinorum dicunt. Quocirca Syri codices v. 4. pro *signa Tau* legunt *signa crucem*, uti refert ex Caninio Joan Grial in notis ad Isidorum l. 1. Etymol. 3. Ita in crucis quoque formam expansus agnus ille affabatur. Alter enim rectus paxillus ab imo usque ad caput trajiciebatur, alter vero transversus arcos agni assandi distendebat, inquit Justin. contra Tryphon.

XXXVII. Aut si hæc ignota fuere Patribus, quid est, quod iterum Johannes ait Apoc. 13, 8. *Agnus ab origine mundi* mactatum esse? Nimirum mactatus fuit ab origine mundi non tantum ratione *previsionis DEI & destinationis* ad mactationem in tempore peragendam, quod Socinus garrit; verum etiam ratione *agnorum typicorum*, & quoad infinitam vim Sponsæ ac certissime futuræ satisfactionis, cujus quasi tessera illa Sacrificia fuerunt. Nec *Hyperbaton* ipsius alicujus facimus. Nam ut illud hic attendamus nulla nos cogit necessitas. Et posito sic trajicienda esse verba, ut non dicatur, *quomodo* mactatus sit agnus, sed *quando* inscriptio in librum vitæ agni facta sit; tamen manet, Christum esse *agnus* ab æterno, in cujus libro vitæ facta est inscriptio. Jam qui est Agnus ab æterno, ille etiã ab æterno est mactatus. Christus enim non dicitur Agnus, nisi ratione sacrificii per mactationem facti, sicut in Disputatione quadã super Ebr. 13, 8. §. V. docet Amplissimus Dn. D. Höpffnerus, cujus Viri sanctissimis laboribus, ne quid celasse videar, sæpius in hac Disp. usum me fuisse nullus ne-

nego. Est enim benignum (arbitror) & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris, ait C. Plinius in Prefat. ad Vespas. Alia, quæ figuram hanc probare poterant, sciens nunc omitto, ut innocentiam, mansuetudinem, puritatem etiam in antiquis illis requisitam, ob quam ἀμνὸς ἀμωμὸς ἁγὶ ἀσπιλῶς, agnus immaculatus & incontaminatus dicitur 1. Pet. 1, 19. Illud tantum moneo, quod ipsum quasi Agni hujus nomen nempe JESUS, in rem præsentem deducere nos videatur. Idem enim est per anagramma, quod Ovis, ut patet ex isto cujusdam anagrammatismo non ineleganti: ΙΗCOYC JESUS, σὺ ἦ οἶς, id est, Tu certe ovis. Utrobique enim eadem prorsus sunt literæ, sed ordine commutato. Nolim tamen solo hoc tibi causam hanc suffulcire, quam ulterius eundo per reliquas quoque victimarum species, Juventis sive vituli, Hædi, Turturis, pulli Columbini & alias, (quarum summam cum Christo convenientiam disputatione tertia decimâ latè deducit Frantzius,) statuminare possem, nisi vererer, ne nimis sim prolixus vel Iliada scribam post Homerum. Unam victimam si rectè nôris, omnes cognoris. Fine ergò ex uno disce omnes.

SECTIO III.

OBJECTIONUM ANACKEYH.

XXXIIX. Perspectis jam Orthodoxiæ Argumentis, superest ut Rationum adversariarum momenta potissima ad Veritatis cœlestis libellam examinemus, & earum falsitatem in mensa Solis exponamus.

OBJECTIO I.

Ita autem ad sententiæ nostræ everisionem viam sibi munit spiritus Photinianus:

Sacrificia neq; per se, neq; typicè vim satisfactionis habuerunt. Socinus l. 2. de E. frustra ex illis satisfactio colligitur. Serb. cap. 10.

Non per se: quod nec tanta pecudibus cum homine aut aequalitate aut conjunctio erat, ut illis mactatis pro homine satisfaceret: nec DEO ea res pretii loco persolvi poterat, quæ jam illius erat Psal. 50, 8. & seqq. Volckelium l. 5. c. 22. de satisf

Nec Typicè: quia figura respondet figurato & semper continet aliquid

quid ejusdem generis cum eo, ut apparet ex 1. Cor. 10, 6. & 11, 1. Pet. 3, 20.
Ac satisfactionem per se, quæ est, *bet* in figurato, sacrificia non conti-
nent.

Resp. Concedimus prius membrum de victimis in se conside-
ratis & αἰμφοῖν largimur, ea nullam satisfaciendi vim habuis-
se. Negamus autem de victimis typicè spectatis, prout fuerunt
signa, Christi satisfactionem figurantia, atque insuper organa ac
media signatam illam applicantia. Tamen si verò inter homi-
nem & pecus non fuerit æqualitas, conjunctio aut communio,
quæ speciei dicitur; fuit tamen alia, ex σωθήκη & ordinatione Dei
sapiientissima facta, ita ut non nudum pecus mactatum fuerit,
sed pecus, cujus sanguis ex divinâ ordinatione animam debebat
expiare. Levit. 17, 11. & ceu λύτρον esse pro peccatoribus solven-
dum, vi pretiosissimi illius meriti, quod repræsentabat. Adde
quod homo & bestia non solo genere animantis se contingant,
verùm ea quoque relatione, quæ est inter possessorem & rem
possessam. Est enim bestia in universum sub humano dominio:
& specialiter expiandus de suo dare victimam jubebatur. Pla-
ceat ergò Photinianis, quod DEO placuit, nisi audire velint il-
lud Christi Luc. 7, 35. ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων, id est,
sententia tanquam in judicio pronunciata fuit de sapientia ab
illis, qui eam ut pueri audire ei; se submittere debebant, ut ex-
ponit Camerarius. Nec alterum ad rem pertinet. Quod jam tum
est DEI, id, ea sc. ratione, quæ est DEI, non potest loco pretii persol-
vi. Potest tamen alia: quatenus nimirum est salutare medium
à DEO ipso suppeditatum & institutum ad satisfactionem Deo
non quidem realiter, hoc enim solius Christi est, sed typicè præ-
standum. Ad locum Psalmi, in quo Deus dicitur nolle Sacrificia,
rectè intelligendam, distinctione opus est. Dicitur enim
DEUS in Icripturâ nolle Sacrificia, vel non eo gradu voluntatis, &
adeo sicut cultum moralem vult; vel non eo modo & sine, quo ali-
qui offerebant in V. T. vel omninò non. Primus modus nolendi
Sacrificia intelligendus est συγκελευκῶς comparative, ut Psal.
51, 18. Osee 6, 6. Secundus ἐλεγκτικῶς increpatoriè, ut Esa. 1, 11.
Jer. 6, 20. Amos 5, 21. si vel absque fide & seria pœnitentia, vel
cum opinione meriti & intentione placandi DEUM per sacri-
fi-

ficia ista in se spectata, cultus hic ceremonialis exercebatur. Tertius denique *ἀνεπισημῶς* negativè, quo Deus testatur se sacrificia Legis omninò amplius nolle tempore N. T. sicut ait Psal, 50, 8. & seq. Esa. 66, 3. Accipiendus ergò est hic locus de Sacrificiis, quoad *certum tempus*, nempe post Christum mortuum & exaltatum. Dicit enim *se non arguere populum ob sacrificia* sc. ommissa. Atqui in V. T. arguebat, eò quod illa Christum & beneficia ejus præfigurarent. In Novo autem non arguit, quia *Ἰννεσίμωρα* erant imposita, usque ad tempus correctionis, h. e. N. T. ubi abrogari debebant, tanquam egena & infirma Elementa & jam impleta per Christum. Proin Deo nihil dari aut persolvi potest Sacrificiis, scilicet *absolute & in se spectatis* absque ratione typi & antitypi, qualia sunt illa, quæ fiunt tempore Novi Testamenti.

XXXIX. Figura respondet figurato, non quoad *convenientiam & similitudinem specialem ac perfectam*; sed quoad *generalem tantum & aliqualem*. Oportet enim, Canon est Chrysostomi, *figura* Homil. 61. in Gen. minus habere, quam veritatem, quia alioquin non fuisset figura futurorum. Ita Sacrificia *in genere* cum antitypo suo conveniunt, quod utrumque expiet & satisfaciatur; sed *in specie* ab eodem differunt. Sacrificia enim hoc præstant *typicè*, Christus vero *realiter*. Sicut in exemplis quoque allatis, 1. Cor. 10, 6, 11, 1. Pet. 3, 20. non nisi *generalis* convenientia reperitur: quod ipse Socius fatetur, quando dicit, tam in figurâ, quam in figurato de *salute & vita* agi; sed in *illâ* de salute & vita fluxa & caduca: in hoc vero de æternâ & immortalis. Neque metuendum est, ne nulla inter typum & antitypum similitudo relinqueretur, si satisfactio *per se*, quam figurato propriam esse dicimus, non utrique tribuatur. Perbellè enim sibi constat similitudo; cujus membra tria constituimus: *Reatum, pœnam, satisfactionem*. *Reatus typicus* in eo fuit, quod peccato inquinatis societatem religiosam non licebat colere cum fratribus: *Pœna*, quod deprehensi, non oblato sacrificio, dignas meritis pœnas luebant; *Satisfactio* denique, quod victimam offerebant, expiationi futuram: quæ singula optimè quadrant typo rei significatæ. Peccato alienamur à DEO, & ab Angelis, & reatum contrahimus mortis æternæ atque temporalis, & ad plenariam satisfactionem obligamur. Hac autem

G

de

defungimur sacrificio, impositis sicut olim victimis peccatis nostris, CHRISTO.

OBJECTIO II.

Socin. l. 2. c. 11. XL. Verba כפר & חטא quæ Scriptura de expiatione Sacrificiorum loquens usurpat, planè non significant satisfactionem. E. neq. typica satisfactio sacrificiis est tribuenda, cum nullam tribuat Scriptura. כפר enim tegere & aperire propriè significat: verbum autem חטא mundare seu purificare: neutrum satisfacere.

Resp. (1.) per ἀνὴν ὁδὸν ἀσιν: Posito verba hæc regendi (cujus tamen exemplum nondum attulit Socinus: In Psalmo enim quem adduxit 32, 1. non כפר habetur sed כסר) & mundandi significationem habere: tamen peccata aliter non teguntur, quam sufficientissimo λύτρω interueniente, quo peccati reatus tollatur, & foeditas obveletur, ne veniat in conspectum DEI vindicis. Hinc Epistola ad Ebræos c. 9, 22. sine sanguine non fit remissio: & Lutherus: Deus nullum peccatum remittit, nisi pro eo satisfactum sit Legi. Satisfit autem merito Christi, sacrificiis representato. Ita quoque non mundamur aut justificamur nisi sanguine Christi, 1. Joh. 1, 7. Sanguis JESU CHRISTI Filii DEI emundat nos ab omni peccato. Rom. 5, 9. Justificati ipsius sanguine. Tegere ergo & mundare si potuerunt Sacrificia, quidni & satisfacere? Eo tamen, quo diximus, modo: nempe typicè & intuitu meriti illius, quo repræsentabant, & ut organa quoque applicabant. (2.) Deinde ostendimus Socino, verba hæc non nudam remissionem aut condonationem, sed lutionem quoque compensatoriam significare, dato pretio vel munere. כפר usurpat Jacob fratrem suum muneribus placaturus Genes. 32, 20. חטא בכפרו פניו במנחה placabo vultum ejus munere: Et David Gibeonitis læsis à Saule ait 2. Sam. 21, 3. חטא בכפרו in quo expiabo? id est, quænam re satisfaciam vobis? quod ostendit Gibeonitarum responsio: Non est nobis super auro & argento. Inprimis autem hæc significatio stabilitur ex Levit. 17, 11. Anima carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis super Altare לְכַפֵּר עַל-נַפְשֵׁיכֶם כִּי-הָיָה הוּא בַדָּם וְכַפֵּר יִכְפֹּר ubi particula quoque עַל & præfixum ב in כַפֵּר clarè ostendunt, verbum כַפֵּר expiationem non nudam sed satisfactoriam signi-

significare; & rectè proin per P R O vertuntur, ita quidem ut non utilitatem tantum, sicut 1. Sam. 19, 3. loquar לְךָ pro te ad Patrem, & Levit 4, 3. offeret לְפָנַי pro peccato suo, sc. expiando vel remittendo; sed & vicem & permutationem satisfactionem significet. Sic enim לְךָ accipitur Deut. 11, 6. cibum emittis ab eis לְךָ pro pecunia, Thren. 5, 4. aquas nostras לְךָ pro argento bibimus, & ligna nostra לְךָ pro pretio obveniunt. Hinc antiqva rectè: Anima carnis in sanguine est: Ego dedi illum vobis (ex gratiosâ ordinatione & misericordiâ) ut super altare expietis P R O animabus vestris, & sanguis P R O animæ piaculo sit. Idem sensus Chaldaicæ paraphraseos & Græcicæ versionis, quæ *ἀντὶ* hîc usurpat, quod permutationem significat, sicut Matth. 5, 38. $\text{ὄφθαλμὸν ἀντὶ ὄφθαλμοῦ}$ oculum P R O oculo; & alibi videre est.

XLI. In expiatione ergò tali mors pecudis morti hominis subrogabatur, id quod adhuc manifestius fit ex eo, quod Deuteron. 21. constituitur, ut homicidâ non reperto populus expietur pecude cæsâ; ubi & expiandi vox explicatur: Expia populum tuum D E U S, & ne imputes sanguinem innocentem v. 8. Alioqvi verò non poterat terra expiari à sanguine effuso, nisi per sanguinem effusoris, ut ait Lex Num. 35, 33. Nec obstat, quod non sacrificiis tantum, sed D E O quoque verbum hoc attribuatur. Multiplex enim illius significatio. De peccato, & victimis pro peccato quando sermo est, vel significat *lutionem & compensationem* pro peccato; vel ratione *applicationis* consideratum significat & *mundationem à peccatis*, atque sic tribuitur D E O remittenti peccatum *principaliter*; Sacerdoti, ut causæ *ministeriali*, atque iterum victimis ut instrumento remissionis peccatorum divinitus ordinato. Sic & Latina vox multimodis accipitur. Nam & *Magistratus expiat*, cum *punit*, quod Sinon ait Virgilianus l. 2. Æneid.

Nec mihi jam patriam antiqvam spes ulla videndi
 Nec dulces natos, exoptatumq; parentem:
 Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent
 Effugia, & culpam hanc miserorum morte piabunt,
 i. e. punient. Et *Deus expiatur*, cum *fit propitiu*s. Cic. in Pison. A me quidem etiam pœnas expetivistis, quibus manes mortuorum

rate, vel delinquentis noticia, aut voluntate offensa ac meritum
 æstimanda; sed *ex magnitudine Legislatoris*, verantis offensionem
 sui, tam in *parvis*, quàm in *magnis*, Deut. 27, 26. Matth 4. 19. Jac. 2,
 10. Quando igitur quædam peccata vocantur *levia*, quædam *gra-*
via, tum illud fieri dicendum est *ratione graduum*, tum ipsius cul-
 pæ, tum pœnæ, qui vel à causâ efficiente, vel à modo, vel à loco &
 tempore, aliisque circumstantiis dependent, sicut gravius pec-
 catum est, majores quæ pœnæ gradus meretur, Ministri quàm Au-
 ditoris, Magistratûs quàm Subditi, manifestum quàm occultum,
 sæpius iteratum, quàm semel commissum; *non verò ratione ipsius*
reatus in se spectati: Hactenus enim omnia sunt æqualia, i. e. æter-
 terna maledictione digna. (2.) Proinde & *levia* peccata, i. e. non
 ex malitiâ & deliberatâ voluntate, sed per ignorantiam aut im-
 prudentiam admissa satis fuerunt *gravia*, quippe meritoria æ-
 ternæ mortis, tametsi mors temporalis à Magistratu ipsis non
 fuerit irrogata. Licenter enim hæc duo confundit Adversarius,
 dum non distingvit inter *pœnam temporalem ac Politicam* à Magi-
 stratu infligendam, & inter *eternam* à DEO aliquando irrogandam.
 Nulla igitur in ipsius ratiocinio consequentia: Sacrificia non
 fuere oblata pro maleficis à morte Politica liberandis. E. non
 sunt oblata pro peccatoribus æternæ mortis reis. Nam quod
 DEUS civiliter plecti voluerit voluntaria peccata, & capitalia
 scelera supplicio affici extremo, non propterea factum est, quod
 nullum pro iis esset sacrificium, sed ne flagitiorum impunitas,
 pacem & honestatē everteret. Aliàs & ii, qui peccata כִּי רָמִיָּהוּ
 ἐν χειρὶ ἰσραὴλ *in manu excelsa commiserant*, & pœna
 capitali plectebantur, peccatorum suorum expiationem, & à reatu
 æternæ mortis liberationem per sacrificia poterant obtinere;
 modò pœnitentiam agerent, & per veram fidem à Christo, ali-
 quando pro peccatis suis offerendo, remissionem flagitarent,
 ut *exemplo latronis* patet Luc. 23, 41. Actametsi non legantur *spe-*
tialia pro malitiosis illis sacrificia instituta; adfuerunt tamen *gene-*
ralia, quæ omnibus in universum pœnitentibus gratiam Dei ap-
 plicabant; quale imprimis fuit sacrificium *juge*. Quod si qui
 fortè temporali morte multati etiam æternæ simul reos sese fe-
 cerint, id non adscribendum erit peccatorum *gravitati*, quasi illa
 magnitudine sua gratiam DEI & meriti Christi in sacrificiis ad-

umbrati dignitatem superarent; sed peccantium incredulitati. Nam post editum Protevangelium nulla peccata quantumvis atrocitas directe & immediate sunt mortifera, aut actu privant salute gratiæ præter incredulitatem, quæ facit, ut reliqua peccata retineantur, nec remittantur, quod & dictis Scripturæ probat, & eleganti similitudine moribundi illustrat Amplifs. Höpffnerus Disp. 10. de Justif. aphor. 1. §. 21.

XLIII. (3.) Pro quibuslibet etiam gravibus & voluntariis peccatis Sacrificia fuere constituta; quod præter cætera duo palmaria evincunt loca. Primus extat Levit. 6. 2, 3, 4, 5, 6, 7. ubi expiatio promittitur peccatis non levibus, sed enormibus & plena deliberatione factis, qualia sunt perfidia, dolus, violentia, interversio depositi, rapina, perjurium: quod ultimum ex iis est, quæ immediate lædunt Dei nomen, & contra divinam ejus majestatem perpetrantur. Nec obstat (1) quod vocentur peccata hominum, v. 3. adeoq; ad ignorantia peccata proximè accedant, quod Socinus ait. Nam etiam ultrò ac sponte sua peccare humanum est. Et quæso nunquid hæc per ignorantiam fiunt, & non certam potius animi destinatione, cum quis depositum intervertit & furatur, ac postea pejerat, se id non fecisse? Ἄγρον! (2). Quod restitutione ablati cum auctario expiata videri possint. Hæc enim restitutio necessaria quidem conditio erat peccati expiandi, non tamen cause vel medi: poterat enim impius oblatum restituere, & tamen in impietate suâ perseverare ac mori; sed quæ ordinis vocatur, ut damnum proximo illatum sarciretur prius & conspicuum aliquod contritionis signum ederetur, quàm peccatorum fieret expiatio. Quorsum trahere licet illud tritum: Peccatum non remittitur, nisi ablatum restituatur. Alter locus est Levit. 16. ubi Aaron sanguine hirci piacularis jubetur filios Israel expiare, וְשָׁטְפוּ אֶת מַלְּטוֹתָם אֶת כָּל־מַלְּטוֹתָם אֶת כָּל־מַלְּטוֹתָם אֶת כָּל־מַלְּטוֹתָם à malitiis eorum, & ab omnibus peccatis eorum v. 16. Et v. 21. & 22. Apopompæo dicuntur omnia peccata, omnes prævaricationes, & omnes iniquitates impostæ Si omnia imponebantur. Ergo non levia tantum peccatilla. Neque Syncategorema omni ad illa restringendum, quibus expiationem concessam esse Socinus ait, i. e. leviora, sed de omnibus cujuscunque generis delictis intelligendum, etiam gravissimis, nisi patentes misericordiæ divinæ

næ fores claudere, & latissimam desperationi hominum fenestram aperire velimus. Non enim pro lubitu, sed ex accuratâ textus consideratione constituenda est illa universalis particulæ restrictio: ita quidem, *ut vel expresse addatur*, sicut Joh. 3, 17. vel ipsa rei de quâ agitur *natura ac conditio arguat*, universalitatem illam simplicem & absolutam non esse, sicut in dicto Johan. 10, 8. Omnes, quotquot antè me venerunt, fures sunt & latrones, particula *omnis* non potest non restrictè & pro subjecta materia intelligi. Atqui infallibiles hæ restrictæ universalitatis notæ hîc deficiunt: & non levia tantum peccata fuisse recitata, tria distincta vocabula יִשְׂרָאֵל & עַמּוּדָא , $\text{כֹּהֲנֵי$ evincunt, quippe quæ & singulatim & conjunctim de gravissimis peccatis usurpata inveniuntur. *Conjunctim* & pro tota quasi peccatorum colluvie ac lerna reperies, Psal. 32, 1. Omnia ergo peccata duobus illis hircis expiata, nullis exceptis. Dico *duobus*. Non enim *singulatim* aut *divisim* considerandi, sed *conjunctim*, & ad unum continuum actum sacrificialem concurrentes, cum ambo simul uno die ad unam expiationem peragendam fuerint oblati v. 7. postea capiet duos hircos &c. Et prior quidem ille, qui occidebatur, significabat *expiationis modum*, quod ea effusione sanguinis & immolatione in arâ crucis fieri deberet: Posterior autem illius immolationis *fructum seu effectum*, qui erat ablatio & deportatio peccatorum è conspectu Dei. Frivolum igitur Socini objectamentum: ἀποποιήσιον interim non solitum; ad peccatorum autem remissionem mortem requiri & sanguinis effusionem. Satis enim fuit, alterius cædem intercedere, ejusque sanguine cruentum Christi sacrificium representari. Quin imò hunc ipsum emissarium de loco sublimi præcipitatum in deserto, atque ita neci datum, etsi Scripturâ disertè non pronunciat, Ebræi interpretes consentiunt: quod ut non esset, quid tamen illa in vastam solitudinem abactio aliud, quàm mortem minime naturalem aut ex fame, aut ex ferarum laniatibus minabatur?

XLIV. *Didum* Ebr. 9, 7, quod spectat, primò Apostolus non addit exclusivam μόνον , quasi tantum pro ignorantibus oblata fuerint sacrificia. Deinde per ἀγνοήματα non illa tantum hoc loco veniunt peccata, quæ per errorem admittantur, sed per Synecdochen omnia. Clarum hoc evadit ex Ebr. 5, 1. ubi Sacerdos

di-

dicitur offerre victimas ὑπὲρ ἁμαρτιῶν, vocabulo generali, quod per species postea explicatur v. 2. Ut possit μετριοπαθεῖν τοῖς ἀγνοῦσι καὶ πλανωμένοις ignorantibus & errantibus. Πλάνη enim pro enormi aberratione à recto & à lege hīc accipitur, & quæ conjuncta esse potest cum πικροσμοῦ & πειρασμοῦ exacerbatione & tentatione Dei, Ebr. 3. v. 8. 9. 10. Unde Antichristus πλάνος impostor, 2. Joh. 1. 7. & Diabolus πλανῶν seductor Apoc. 20. 10. indigetatur. Alii non minus benè Metonymiam Adjuncti hīc agnoscunt, & propter concomitantem ignorantiam etiam gravissima peccata ἀγνοήματα appellari dicunt, suffraganeo ipsius Scripturæ calculo Sap. 14. 22. & seqq. 1. Petr. 1. 14. Act. 3. 17. Intelligunt autem hoc non de simplici illa atque ἀκυσίῳ ἀγνοίᾳ, quæ inaffektata dicitur: Sed de βελητιῇ, quæ crassa aliās & supina appellatur. Talis enim in peccatis etiam gravissimis occurrit, quandoquidem peccantes fascinati suis cupiditatibus quod sciunt, ignorant: & scientes, volentes contra conscientiam ruunt, quod Aristoteles vocat ἀπάτην καὶ ὑπόληψιν. Evidens de hāc ignorantia locus est 2. Petr. 3. 5. ubi Petrus Empectas creationem cœli & terræ inscitia voluntaria dicit ignorare: λανθάνει γὰρ αὐτὰς τὸ τοῦ θεοῦ ἔργον, ὅτι ἔρανοι ἦσαν ἐκπαλαμ καὶ γῆ τῶ τῶ θεοῦ λόγῳ.

OBJECTIO IV.

Socin. l. 2. c. 13. § 16. XLV. Quodcumq; tantum est antecedens expiationis, id non potest notare conciliationem aut meritum expiationis.

Atqui Sacrificia tantum sunt antecedens expiationis; ita ut illi per actis ex merà DEI benigneate expiatio offerentibus contingat, mortisq; victimarum intercedente cognoscatur ac confirmetur. E. Sacrificia non possunt notare conciliationem aut meritum expiationis & P. C. nec typi esse satisfactionis.

Resp. Expiatio ad Sacrificia se non habet, ut nudum consequens ad suum antecedens, sed ut effectus potius ad suam causam organicam nempe seu instrumentalem. Non enim sola ἑξις, aut nudus antecessus ordinis, sed ἑῖναι quoque intercedit. Nam sive expiatio peccatorum luitionem significet, sive eorundem ablationem & remissionem ex innocenti luitione ortam; neu

neutro tamen modo Sacrificia ad illam tanquam nudum ante-
 cedens sese habent. *Non posteriori*: Ita enim sunt media atq; orga-
 na μετὰ δουκὰ, imò & σφραγιδικὰ ac Sacramentale quippiam
 habentia, quibus gratuita peccatorum remissio ex perfectissima
 Christi obedientia oriunda exhibetur & credentibus applica-
 tur ac confirmatur. *Nec priori*: Sic enim & ipsa luitionem pec-
 catorum ac satisfactionem suo modo peragunt, non *realiter* qui-
 dem & *per se*; hoc enim solius Christi opus, qui est ἰλασμός τῶν
 τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, 1. Joh. 2, 2. Sed *typicè*, quatenus CHRISTUM
 Agnum illum tollentem peccata mundi repræsentant, adeoque
 satisfactionis ac luitionis hujus μίμησιν quandam ac parabolici-
 cum ὑπόδειγμα continent, nempe mortem innocuarum pecu-
 dum, quarum vita ex divinâ ordinatione ceu λύτρον erat, quod
 pro peccatoribus solvebatur. Illud ergò quod in Sacrificiis tan-
 toperè Socinus quæritat, & quod DEUM ad condonanda pec-
 cata movit, ejusque pro quo offerebatur culpam resarsit, *satisfa-*
ctio Christi fuit, tum quidè adumbrata tantum, nondū autem præ-
 stita, certò tamen aliquando præstanda, & ob infallibilem spon-
 soris seu vadis veritatem sufficientissima. Quæ causa est, quam-
 obrem sivevolentiam coram DEO excitare dicantur holocau-
 sta, nempe quia Christum in se continent, DEO in odorem bo-
 næ fragrantia oblatum Eph. 5, 2. Neq; obstat, quod expiatio pec-
 catorum nostrorum *ex merâ DEI benignitate & misericordiâ* de-
 pendeat. Diverso enim respectu unum & idem opus ad *justi-*
tiam & ad misericordiam referri potest. *Respectu nostri*, Miseri-
 cordiæ opus est peccatorum expiatio; quippe quæ non *gratiosa*
 tantum est, sed & *gratuita*, cum obtingat nobis non tantum in-
 dignis, & longè aliud meritis; sed etiam *sine quocunque operis no-*
stri interventu, ita ut illud nec meriti, nec dispositionis, nec ad-
 miniculi, nec Organi expiationem illam operantis, nec forma-
 lis causæ rationem habeat. Falsum enim quod Socinus ait
 c. II. *Nos faciendâ ea, quæ DEUS mandat, posse peccata nostra expiare.*
Respectu autem CHRISTI opus est justitiæ, & omninò carè con-
 stitit Salvatori. Non enim corruptibilibus auro vel argento re-
 demti sumus, sed τιμῶ ἀιμάτι ὡς ἀμνὸς ἀμώμης καὶ ἀσπίλης,
 1. Petr. 1, 19. Hinc utrumque conjungit Paulus Rom. 3, 14. 25.

H

Justit

Justificati *gratis ipsius gratia* (id est, gratiâ gratiosâ simul & gratuitâ) Ἀπὸ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, per redemptionem, quæ est in CHRISTO JESU. Quem proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine ejus, εἰς ἐνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ad ostensionem justitiæ suæ. Et hoc est, quod B. Chemnitius ait part. 2. L. Th. Art. de Justific. f. m. 228. Reconciliatio respectu Christi vocatur *Redemptio* propter factam compensationem, sed respectu nostri vocatur *remissio gratuita*.

OBJECTIO V.

Socin. l. 2. de XLVI. Neg. publica neq. privata Sacrificia oblationem Christi satisfactoriam adumbrarunt. E. nulla adumbrarunt.

Non Publica. Hec enim typi fuerunt illius, quod in cælis peragitur, nempe oblationis CHRISTI, quæ non antè perfecta fuit, quàm post resurrectionem & ascensionem ipsius in cælum. Satisfactio autem in terris dicitur præstita. Inprimis in anniversario illo ad oblationem perficiendam requirebatur, ut sanguis victimarum in sanctuarium inferretur.

Resp. De divisione Sacrificiorum in *Publica* & *Privata* cùm supra nihil dixerimus, quædam ex Philone postliminiò nunc addenda. Ita autem ille libro, qui est περὶ ζώων τῶν εἰς θυσίας. αἱ μὲν εἰσιν ὑπὲρ πάντων τῶν ἔθνων, εἰ δὲ θεῶν τ' ἀληθῆς εἰπεῖν, ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων γένους. αἱ δ' ὑπὲρ ἐκάστου τῶν ἱερεργεῖν ἀξίωντων, i. e. quædam sacrificia fiunt pro universâ gente, quædam pro universo (si verum fatendum est) humano genere, quædam pro singulis rem divinam facientibus. Et in *publicis* quidem illis dicit ordinem esse *mirificum*. Nam alia sunt quotidiana, alia recurrunt septimo quoque die, alia cum sacratis noviluniis, alia jejuniorum tempore, alia tribus festis præcipuis. Itaque Agni duo jussu legis maclantur quotidie, manè ac sub vesperam, uterque cum gratiarum actione, alter pro diurnis, alter pro nocturnis beneficiis, quæ indefinenter DEUS largitur humano generi. Is numerus duplicatur septimo quoque die, ut par pari addatur, in æternitatis honorem, quod septimus dies

Mun-

Mundi natalis sit. Tu lege reliqua: nos ad Socini dissertatio-
nem sermonem flectimus. Inclinat illa in caducum parietem
& tota falsâ hac nititur Hypothesi: CHRISTUM post mortem
demum officium suum sacerdotale adeptum esse, nec antè Sacerdotem
verè dictum, quàm coelum ascenderit. Hæc si ruat, quicquid super-
structum, corruet unâ. Ruit autem omninò. Ita enim ex ipsis
Adversarii verbis inferimus: Ubi vera Christi est oblatio, ibi
etiam Christus verus est Sacerdos. Relativa enim sunt Sacer-
dos & oblatio. Atqui in terris vera CHRISTI est oblatio, E.
in terris CHRISTUS verus est Sacerdos. Minorem proba-
mus: Dicitur enim CHRISTUS, cognominatus à DEO
Pontifex Ebr. 5. v. 6. & 10. Obtulisse in diebus carnis suæ deprecæ-
tiones & supplicationes cum clamore valido & lacrymis. In
diebus carnis ergò si obtulit, in stata exinanitionis & humilia-
tionis, quem dies carnis Christi notant, adeoque his in terris
oblatio facta sit necesse est. Deinde ex Ebr. 9, 26. ita argumen-
tamur:

Quodcumque consistit in passione, illud factum est
in his terris.

Oblatio Christi consistit in passione.

E. facta est in his terris.

Oblationem enim disertè in passione collocat Apostolus, & argu-
mentatione quidem Enthymematica: Passio Christi sæpius
fieri non potest. Ergò oblatio Christi sæpius fieri non potest.
Consequens extat v. 25: Neque ut offerat sæpè semetipsum. & v.
28: semel oblatus est. Antecedens verò v. 25: Alioquin oportu-
isset eum sæpè passum fuisse à condito mundo, quod impossi-
bile, quia ex lege naturæ, statutum est hominibus, ut semel mo-
riantur v. 27. Integer Syllogismus si fieri debeat, propositio
supplenda alia esse non potest, quàm isthæc: Oblatio est passio
CHRISTI, quæ nisi ponatur, vis in argumento Apostoli
nulla:

XLVII. Intelligimus autem per passionem, quando obla-
tionis nomine illam salutamus, Synecdochicè totam Christi obe-
dientiam, quæ agendo & patiando DEO pro nobis præstitit in
his terris, factus obediens usque ad mortem, mortem autem

erucis Philipp. 2, 8. Scriptura enim propter *indissolubilem*
partium obedientia satisfactoria necessitudinem mentione unius
v. g. vel passionis, vel mortis, vel sanguinis, vel ipsius obedien-
tia, per Synecochen connotat etiam alteram. Nam quod
unicam sanguinis CHRISTI guttam ad nostram redemptionem
satisfuisse dixit *Bernhardus*, verum est quoad *sufficienciam gra-*
duum; quam passioni & morti huic conciliat personæ dignitas
eum proprius DEI sanguis sit Actor. 20, 28. non verò quoad
sufficienciam partium poenæ peccatis nostris debitæ, quæ non
tantum erat vivorum afflictio omnimoda, sed etiam mors tum
spiritualis, tum temporalis & æterna. Et hæc mors & passio
CHRISTI conjunctam simul habebat *activam*, ut vocant,
obedientiam legi divinæ pro nobis præstitam, eò quod non tan-
tum poenæ, transgressioni Legis debitæ, nobis peccatoribus
fuissent luendæ; sed & Legi debita, id est, perfectissima obe-
dientia porro præstanda nobis incubuisset: quod utrumque
cum impossibile nobis, vice nostra CHRISTUS præstitit
Matth. 5. v. 17, 18. Roman. 5. v. 18. Hinc idem *Bernhardus* ele-
ganter: *CHRISTUM in vitâ suâ dixit habuisse passivam actio-*
nem, & in morte sustinuisse passionem activam, dum salutem
operaretur in medio Terræ. Quod contra *Maccovium*
notandum, qui passioni & morti CHRISTI omnem dero-
gat activitatem in Collegiis Theol. recens editis *Franeckeræ*
Colleg. de Justificatione Disputat. 4. pag. 141. Quod si jam
Socinus quærat, quânam in re oblationem CHRISTI colloce-
mus, respondemus cum Apostolo, *in cruenta atque ignominiosa*
ipsius passione & morte, conjuncta cum perfectissima obedientia DEO
Patri præstita. Propterea namque Apostolus ostensurus
CHRISTUM semel semetipsum obtulisse, vers. 26. cap. 9.
dicit illum semel per *immolationem sui ipsius* esse patefactum:
πεφανερωται apparuit, scilicet non coram DEO, ut *Socinus*
explicat, sed *coram hominibus.* Aliud enim est *εμφανισμός*, quo
vultui DEI pro nobis apparet vers. 24. aliud *φανέρωσις*, qua
hominibus in terrâ degentibus manifestatur. vers. 26. *illa fit*
in cœlis per meriti præsentationem, quando CHRISTUS
interpellat & postulat pro nobis, intercessione non tantum
in-

interpretativa; dum exhibet se DEO Patri ἱλασμόν & ostendat ei sanctissimam suam obedientiam loco bonoq̄ve nostro præstitam; sed etiam *formali* ut vocant, quâ postulat à DEO Patre, ut obedientia sua credentibus per fidem imputetur, & salus spiritualis ac æterna ipsis conferatur Roman. 8, 34. Hæc verò fit in terris *Ἀπὸ τῆν θυσίαν* per sui ipsius immolationem: de qua *Φανερώσει* & Johannes loquitur 1. Joh. 3, 8. *εἰς τὸ εἶνα φανερωθῆν* in hoc apparuit, ut dissolvat opera Diaboli. At hæc dissolutio maximam partem facta est per mortem ejus in historis Ebr. 11, 14.

XLIX. Neque est ut dicat adversarius, autorem Epistolæ conferre oblationem CHRISTI cum introitu Pontificis in Sancta. Comparatio enim instituitur inter sacrarium manufactum & ipsum cœlum v. 24. inter anniversarium ingressum Pontificis in Sancta, & unicum Christi ingressum in cœlum: denique inter oblationem sui ipsius & sanguinis alieni, v. 25. Leviticus enim Pontifex alienum; Christus suum sanguinem offerebat: ille quotannis repetebat oblationem: Hic semel tantum sese offerens peccatum abolevit. Aliud ergò est *sanguinis oblatio*; aliud *ingressus, & sanguinis jam oblatis illatio*. Illa præcedit, hæc sequitur: illa extra, hæc in ipso peragitur sacrario. Unde sanguis animalium non *εἰς τὸ εἶνα* dicitur in sancto, sed *εἰς τὸ φερόμεν* in sancta Ebr. 13, 11, Neque enim vel fiebat vel fieri poterat in Adytis oblatio, cum nullum ibi fuerit altare, ac ne ara quæ *Cuneus l. 2. de R. Ebr. c. 4.* dem incensi, in quo non victimæ sed suffimenta offerebantur, contra quam putavit Augustinus. Omnino enim locus ille in *p. 139.* quo erat Altare incensi, separatus velo ab ipsis adytis fuit Exod, 30. Monstrat illa ad oculus *caput 16.* Levitic. Nam versu nono jubetur Sacerdos offerre hircum, versu undecimo juvencom: postea verò versu duodecimo ultra velum intrare in sancta. Reliqua, quæ de expiatione sanctuarii ab immunditiis filiorum Israël per sanguinem sequuntur, non de *sanguinis oblatione*, sed de *jam oblatis usu atq; applicatione* accipienda sunt. Sicut autem distincta hinc sunt *offerre & inferre*: Ita quoq; in Christo sanguinis proprii *effusio*, & *effusi presentatio* atq; applicatio actus sunt distincti. Ex quibus apparet, *oblationem Christi morte & passione terminari, falsumq; esse, quod Socinus ait, eam non*

ante perfectam fuisse, quàm post resurrectionem & ascensum
 ejus in cœlum. *Resurrectio* enim & *ascensio* præcisè & in se specta-
 ta, quatenus morti CHRISTI contradistinguntur, non sunt
 ipsum *λύτρον καὶ ἀντίλυτρον* satisfactorium, meritorium &
 redemptorium; quippe quod est datio τῆς ψυχῆς CHRISTI
 Matth. 20. v. 28. nec pertinent ad *meriti acquisitionem*, sed ad illius
certitudinem & applicationem. Ad *certitudinem*, quia cum justitia
 divina CHRISTUM è sepulcro dimiserit, certum est, plenariè ipsi
 fuisse satisfactum, nosque non amplius esse sub peccatis, sub
 quibus fuisset, si CHRISTUS non resurrexisset, 1. Cor. 15, 17. Ad
applicationem verò, quia CHRISTUS redivivus justitiam, quam ut
 Agnus à semetipso Sacerdote oblatus acquisivit, per Spiritum S.
 efficaciter nobis applicat & confert. Hinc utramque efficien-
 tiam & *acquisitionis & applicationis* conjungit Paulus Rom. 4, 25.
 & illam quidem morti CHRISTI; Hanc verò resurrectioni &
 vitæ ipsius transcribit: Christus, inquit, propter peccata nostra
 (*expianda*) traditus est (*in mortem*) & resurrexit propter justitiam
 nostram (*nobis applicandam*.) Sermo enim est non de *δικαιώ-
 ματι*, seu justitia acquisita; sed de *δικαιώσῃ* seu justitia applica-
 ta: quæ duo Paulus accuratè aliàs distingvit. Contrahimus rem
 in pauca, & ad *Majorem* allati argumenti respondemus per *Limi-
 tationem*: Quod est Typus illius quod in cœlo peragitur, illud ea
ratione, quæ est typus, non potest repræsentare satisfactionem in
 terris præstitam. Sic totum concedimus, nimirum Sacrificia
 eâ ratione, quâ sunt typi illius quod in cœlo peragitur, videli-
 cet ratione *Sanguinis illati* in sanctuarium, non repræsentare sa-
 tisfactionem CHRISTI in terris præstitam. Repræsentant ta-
 men aliâ, videlicet ratione *oblationis & mactationis* factæ extrâ
 Sanctuarium: qui duo actus officii Sacerdotalis neutrobi con-
 fundendi. Hactenus de publicis.

XLIX. De *privatis* verò Sacrificiis ita probat Socinus:

*Sacrificia privata à voluntate populi dependent 2. non pro
 omnibus offeruntur, sed pro singulis 3. agnam habent non
 agnum, 4. Sacrificia mentis nostræ, quæ voluntatem requi-
 runt & pro singulis offeruntur, decenter figurant, E. non
 sunt typi Christi aut mortis ejus satisfactoria.*

Resp.

Resp. 1. Falsum est Sacrificia pro peccato à voluntate populi dependisse, cum nemini integrum fuerit, suo quicquam arbitratu sacrificare, quòd à DEO in exactà illa Sacrificiorum regula non præscriptum. Quod vel solum novum illud Sacrificii genus, iis injunctum probat, qui in procurandis his sacris minus fuerant observantes, aries nempe immaculatus. Levit. 5, 14, 15. Voluntarium ergò hætenus non est, quod certis legibus certoque loco est astrictum, Levit. 17, 1. & seq. Dies verò etsi determinatus non erat, tamen ut primo quoque tempore Sacrificium offerretur, ipsa conscientia imperabat, ut quæ non poterat non tangi divino illo fulmine, Deuteron. 27, 26: Maledictus qui non permanet in sermonibus Legis hujus (etiam Ceremonialis v. 5, 6, 7.) nec eos opere perficit, & dicet omnis populus Amen. Et *posito*, voluntaria fuisse hæc Sacrificia, nihil tamen typo & antitypo decederet, cum collatio institui possit, non tantum ratione *Offerentium* Sacrificia, sed etiam ratione rei *oblatae* & *maclatae*. Ut ut ergò nulla inter hæc convenientia esset quoad offerentes, illorumque voluntatem, aliqua tamen esset quoad *rem oblatam*. Quamvis non planè nulla etiam in illis reperiat, cum Sacrificia populi certo respectu etiam Sacerdotis fuerint Sacrificia, utpote per manus Sacerdotis oblata, ut ipse loquitur Socinus. At verò in sacerdote non summo tantum illo, sed aliis quoque CHRISTUS præfigurabatur, ut nec in solo solenni illo sacro, verum in quotidianis quoque, ut monstrat Epistola ad Ebræos cap. 10, 11, quem locum pessimè depravat Socinus καὶ ἡμέραν vertens per *quotannis*. 2. Nulla quoque consequentia in altero membro cum inter Sacrificia pro singulis oblata & mortem CHRISTI egregia sit convenientia, quippe quæ non tantum pro omnibus sed & pro singulis fuit facta, demto ipsorum nullo. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi 1. Johan. 2, 2. Hanc propitiationem, ut *privata* Sacrificia specialiter, ita *publica* magis solenniter & publicè figurabant, atque obsignabant. 3. Neque hoc verò consonat, quod *agna* tantum in sacrificiis pro peccato fuerit ob-

oblata. Liqvet enim *agnum* quoque fuisse usurpatum Levit. 14, 2. Toller (Sacerdos in leprosi alicujus mundatione) agnum & offeret eum $\square\text{UN}^7$ pro reatu. Num. 6, 12. offeret agnum anniculum $\square\text{UN}^7$ pro reatu. Reatus verò nullus est nisi ob peccatum. Sacrificium igitur pro reatu idem est, ac Sacrificium pro peccato. $\square\text{UN}$ enim peccare est Gen. 42, 21. Unde & Num. 6, 11. disertè additur, quia *peccavit* super mortuo. Contaminationes namque istæ in veteri lege pari cum peccato passu ambulabant, iisque polluti non admittebantur ad societatem *πολιτείας* Judaicæ, nisi per talem expiationem. Taceo jam, quod & Paschalis victima plerunq; *agnus* fuerit ex communi Christianorum interpretum sententia, quamvis etiam hædum vox $\square\text{UN}$ significet. Hinc enim nomen actio illa sortita est ut *ἀμνοσφαγία* diceretur. At verò & illa victima suo modo fuit expiatoria, non quidem *ex se*, sed ob illum quem signabat. Ait enim DEUS se respicientem ad ejus sanguinem averruncaturum ab Ebræis id exitium, quod alioqui cum Ægyptiis (quorum imitatione se contaminaverant) habituri erant commune Exod. 12, 13. Placatos ergò & reconciliatos esse oportuit DEO per remissionem peccatorum; quod fieri re ipsa non potuit, nisi ob *Sacrificium CHRISTI* tum adhuc offerèdi. CHRISTUS enim est Agnus ille, qui tollit peccata mundi, Joh. 1, 29. Act. 4, 12.

L. 4. Quod privata Sacrificia mentis nostræ oblationes si-
ve bona opera decenter figurarint, id *ἀμφοῖν* largimur. Ni-
hil verò inde pro Socino lucri; cum nec tantum, nec primariò
ad illud fuerint instituta. Fines enim Sacrificiorum sunt *sub-*
ordinati, expiare peccata CHRISTI q; beneficia adumbrare: & ima-
ginem esse *pœnitentiæ, precum, gratiarum actionis atque alio-*
rum cultuum internorum; Ita tamen ut prior ille sit *principalis,*
unicè Messiam respiciens: Posterior verò *minus principalis,* uti-
les commonefactiones de precibus & vitæ sanctimonia tra-
ctantibus sacrificia suppeditans. Ita enim David Psalm. 141.
vers. 2: dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo,
elevatio manuum mearum Mincha vespertina. Quam ipsam
ob

ob causam fortè factum, ut cessante templo & Sacrificiis, adeo-
 que sine principali sublato, Viri Synagogæ Magnæ preces eis
 substituerint, & orationem quidem vespertinam תפלה
 מנחה Matutinam verò תפלה השחר appellarint. Unde
 & tempus illud prius oblationibus, post precationibus destina-
 tum, ut Mincha appellaretur, obtinuit. Sic tempore Minchæ
 magnæ (vesperæ magnæ, quæ incipit ab hora sexta & dimidia
 id est, statim post meridiem antè primam nostram) precatus est
 Petrus ascendens in solarium Act. 10, 9. Ad Mincham par-
 vam sive horam precationis nonam (circa quartam nostram)
 Petrus & Johannes iverunt in templum, Act. 3, 1. Quæ de re
 pluribus agit Cl. Buxtorfius in voce מנחה in cuius Synago-
 ga legere quoque est, quomodo hodièq; Judæi Sacrificia verbis
 redimant, & illo Hoseæ (quamvis sensu perverso) sese consolentur:
 Nos tauros labiorum nostrorum immolabimus, Hof. 14, 3. In
 eo verò penitus aberrat Socinus à vero, quod putat Sacrificia illa
 mentis nostræ, quæ DEO offerimus, esse expiatoria: & quamvis
 errori huic *Ἰνναξ* *Ἰαυ* paret, verè tamen illa *συντινή* est. Ac-
 curatè enim distingvendum inter oblationem expiatoriam & Eu-
 charisticam. Expiatoria solius Christi est duobus constans acti-
 bus, quorum unus est *maclationis*, quo Sacerdos simul & victima
 modo cruento in arâ crucis seipsum DEO obrulit, peccataque
 abolevit Ebr. 9, 14, 26, 28. alter *apparitionis* sive *ostensionis*, quo
 per proprium sanguinem cœlum ingressus DEO Patri pretiosis-
 simum suum meritum præsentat, illudque credentibus applica-
 ri precibus, statui suo glorioso conformibus, contendit Ebr.
 7, 25.

Synag. Jud.
c. 5. p. 163.

Socin. l. 2. de
Serb. c. 9.

LI. Eucharistica verò non tantum CHRISTO competit
 victimas desuper renatas offerenti Jacob. 1, 17, 18. Sed & Renatis,
 qui ut spirituales Sacerdotes dicuntur offerre *ἑστίαν αἰθέραως*
 sacrificiū laudis Ebr. 13, 15. beneficentiam & communicationem
 v. 16. spirituales hostias acceptas DEO per CHRISTUM, 1. Petr.
 2, 5. imò propria corpora, adeoque omnem cultum rationa-
 lem Roman. 12, 1. Et quamvis Christianorum hæc Sacrificia
 acceptabilia dicantur DEO, ipsique placeant, videlicet ut fru-
 ctus fidei à DEO præcepti ac signa & testimonia gratitudinis
 postu-

postulatæ; nequaquam tamen sunt *expiatoria*, ita ut eorum dignitate ad remittendum peccata & salvandum homines DEUS moveatur. Hoc enim in solidum perfectissimæ obedientiæ & merito CHRISTI ascribendum, qui solus *ἱλασμός* est pro peccatis mundi 1. Johan. 2, 2. Opera verò nostra etiam optima ob adhærens & circumstans peccatum originale, ejusque motus primos, & actualia per ignorantiam vel infirmitatem admittit, longè imperfectiora sunt, quàm ut DEUM placare possint; quin imò ne placerent quidem, nisi per *oblationis Christi expiatoria actum*, quas admixtas habent imperfectiones tegerentur, in personâ DEO jam per fidem reconciliata. *Contritioni* autem quod expiationis aliquid tribuitur in dictis Psal. 51, 19. Act. 3, 19. ideò fit, quia ibidem locorum *ὀλικῶς* accipitur, quatenus conjuncta est cum fide. *Μερικῶς* enim accepta & prout *Socinus* illam considerat, extra copulam cum fide, quanta quanta etiam sit, expiationem non consequitur, sive expiatio illa *ἐνεργητικῶς* spectetur sive *ληπτικῶς*. Illo enim modo soli Christo competit: *Hoc* verò soli fidei, quæ sola expiat peccata, quia unicum est medium apprehendendi satisfactionem Christi, quâ per fidem habitâ expiatio sive remissio peccati obtinetur.

Atque hæc de Veterum Sacrificiis, futuræ passionis ac mortis Christi Hieroglyphicis atque typis adversus Photinianos in præsentiarum dicta sunt. Reliqua collationi reservamus, & ad illum, à quo exorsi sumus nunc redimus, *JESU* nostro, olim *TYPICO* atque *exhibendo*, nunc *exhibito* labiorum nostrorum offerentes HO-

LOCAUSTA.

F I N I S.

AD LECTOREM.

Erratis veniam dabis, LECTOR BENIVOLE, & Pindaricum illud rectè
tecum putabis viâ: ἀμφὶ δ' ἀνθρώπων φρεσὶν ἀσπλάγχιαι ἀναριθμητοὶ κέρματα. Ple-
raq; autem sic emendabis. In dedicat. sub fin. pro Hinc pone Hanc. Num. II. in
marg. pro Synonyma Synonymiâ; fac. 2. lin. 10. pro θυμίσαι θυμιάσαι. Num. III.
fac. 1. l. 14. pro קרבן קרבן fac. 2. lin. 2. ὄστρον ὄστρον in vocibus Ebrais colloca.
Num. VIII. fac. 2. lin. 3. pro Marc. 4, Marc. 14. Num. X. f. 2. l. ult. pro Satisfactio-
nem Satisfactoria. Num. XVI. f. 2. l. 14. pro expectari expectavi. Num. XXVII.
(quem tamē prius restitue interposito V) f. 2. l. 14. pro Tabernacucum Tabernacu-
lum. Post Num. XXIX. f. 2. l. 3. pro XXX pone XXIX. Num. XXXI. (quem omif-
sum apponas post titulum: De Hirco emissario.) f. 2. l. 3. pro itentidem identi-
dem. Num. XXXIV. f. 1. l. 11. pro ארמון ארמון. Num. XXXIX. l. 8. à
fine pro intelligendam intelligendum; pro distinctiōne distinctiōne. Num.
XL. f. 1. l. 7. pro aperire operire f. 2. l. 8. pro Hinc Hanc. Num. XLIII. f. 2. l. 6. à fi-
ne pro ferar ferarum. Cetera παραρρήματα, ut distinctiōnes vitiosae, aliq; minutiae
aequanimitati ac curae tuae denuò committuntur.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΜΑ

ad DN. AUTOREM.

NON umbras seqveris, RAPPOLTE, in
pariete pictas,
Dum JESUM ex umbris eruis atq;
TYPIS:

Grata DEO cura est, sanctus labor, utilis
ardor,

Qui CHRISTUM Pacti metam utrius-
que docet.

Scilicet una fides Nobis, vita una salus-
que:

Una fides Patribus vita salusque piis.

Heinricus Höpffne-
rus, Th. D. & Prof. Publ.




• Elencbús tractatiónu hoc volum: comprehensivum.

1. BECCERI analysi Psalmi secundi.
2. GESNERI contra primatum Romani Pontificis.
3. HUTTNERI Theoremata tria ex Jobann: 1. 29.
4. FÖRSTERI medulla capit: 53. Esai:
5. Eiusd: Disputationes V. in c. 53. Esai:
6. WINKELM: Disput: ex Jobann: III. 16.
7. Eiusd: Disput: ex Jerem: 23. 3. 4. 5. 5. 7. 8.
8. MAJORIS apobupisobis oraculi Apostolici 1. Jobann: 1. 7.
9. THUMMII Epsi Verbis dicti Paulini Coloss: 2. 9.
10. FROREYSENI Disput: de 7 Verbis Christi novissimis. Autor DANUBIENSIS.
11. SCHMIDT Epsi Verbis dicti Evangelici Luc: XI. 28.
12. Eiusd: de peccator Confes: penitentiali ex Job: 24. 13.
13. BERGII de loco Prop: II. 22 - 31.
14. HÖFFNERI de primigenia hominis conditione, ex Gen: 1. 26. 27.
15. WILHELM: ZYSERI Diaboli oraculi Job: 1. 29.
16. Eiusd: Explicatio Ps. 14. 1. 2. 3.
17. Eiusd: de Anti. Christo ex 2. Thessal: 2.
18. BULAI Epsi Verbis dicti Hof: XIII. 9.
19. HÜLSMANNI meditatio ad dictum Rom: IV. 25.
20. LANGII protuevangeliu, Genes: 3. 15.
21. Eiusd: Jesus typicus in sacrificiis veteru ostensus.
22. MARTINI assertio theologic: de curia ad locu Jerem: XXXI. 31 - 34.
23. HENRICI mysteriu economia ex dicto ad Coloss: 2. 9.
24. CUNDISII exercitatio theol: ex Esai: 49. 22. 23.
25. Ziegna expositio Psalmi 2.
26. LANGGE septem verba Christi.
27. KUNZE Disput: ex 1. Tim: 3. 16.
28. Eiusd: de Confessione hominis ab infidelitate ad fidem.
29. GERHARDI Cyrillus.
30. OLEARI lumen gentium Luc: II. decantatum.
31. 32. Programma ex Gen: 49. 11. 12. Aliud ex Apocal: 1. 4.
33. ZILLI philologia in Esai: 1. 4.
34. BOSII Evangelium an athenate defensu, Galat: 1. 6. 7. 8. 9.
35. ALBERTI magnificentia divina Joel: 2. 28. 29.
36. NIEMANNI de Christi delevisti querela, Matth: 27. 46.
37. THILONIS Disput: ex 1. Corinths: 2. 14. 15.
38. MEYCKELII Exercit: theolog: ad Rom: II. 31. 32.

ung II 18

VD 17

Z





u

ICUS
anos
LIMSA.
ENSUS,

siensi
ni atq; Excellentissimi
SS. THEOL. D. P. P.
DECANI, ad D. Tho-
ris & Patroni sui
lendi,

reâ Theologicâ
Reichenbachio-
Baccal.

Maj. Princ.
is.

e, & vestes Aaronis, adeoq;
tant Sacramenta.

MATTHIÆ GÖTZII,
CHI, Anno 1642.